7
9-D
35

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
2 H
51

XXI. c. 11

ORIGINES,

ET

OCCASVS

TRANSSYLVANORVM.

ORIGINES, ET OCCASVS TRANSSYLVANORVM, *SEV* ERVTÆ NATIONES

Tranſſylvaniæ, earúmque vltimi temporis Revolutiones, Hiſtoricâ narratione breviter comprehenſæ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Authore LAVRENTIO TOPPELTINO *de Medgyes.*



LVGDVNI,
Sump. HOR. BOISSAT, & GEORG. REMEVS,
Anno M. DC. LXVII.



Mirande Princeps ! Tu furores bellicos
Compeſcuiſti ; Tu cadauer Patriæ ,
Suo cruentum , Principúmque ſanguine ,
A morte ſtitiſti : ac foues, ornas, beas.
Nec plus præſtare poſſis , nec fas eſt minùs. I. H.

Celſiſſ. & Potentiſſ. Principi.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

D. D. MICHAELI

A P A F I,

D. G. PRINCIPI

TRANSSYLVANIÆ,

PARTIVM REGNI
Hungariæ Domino, Siculorum Comiti, *&c.* Domino Dom. meo Clementiſſimo,

Gloriam æternã & Triumphos!

QVOTIES mecum volvo proximorum annorum reuolutiones Tranſſyluaniæ, & horreo; & miror; Recedit

in ſeipſam anima mea , ſi ſummam Iuſtitiam, redeúntque ijdem ſpiritus mihi, ſi DEI immenſam miſericordiam, contemplor. Poſtquam ſcilicet vniuerſus peccaſſet populus, exarſit furor Omnipotentis, commouítque Principes numerare ſubditos, & obliuiſci muneris ac lubricæ Sedis ſuæ; (Neque enim infelicem illam terram vt priuati propugnatis, ſed veluti vlterioris Chriſtiani Orbis conducti Heroës, quibus maximâ Dei Prouidentiâ contigit iſtorum terminûm cuſtodia.) Ira Domini temerario bello Patriam noſtram viris exhauſit; emaſculatam ciuilibus armis confudit; armauit Principem contra Principem;

pem;

pem; Principes aduersùs Regnum concitauit; Regnum cum Principe ſuo commiſit; Patres in filios; ſeruos contra Dominos; fratrem in fratres, & pleraſque familias in viſcera ſæuire permiſit; omnes omnium facultates occupanti dedit; quod à ſpoliis ſuperfuit, incendio ſuſtulit; è ſtrage reduces captiuos tradidit; ſæpe in hoſtium caſtris vendidit Tranſſyluanum vnum pro fumibulo tabacchi, aut pro flagello vno aut ſcutica quâ vrgerentur cæteri; & quum cuncta, quæ pati poterant, ſe perpeſſos crederent Tranſſyluani, paſſi ſunt Peſtem, magnum ærumnarum prœmium. Poſtquam autem miſertus eſt Dominus ſuper

afflictione, dixit Angelo percutienti populum: *Sufficit; nunc contine manum tuam*. Statimque Sol diuinæ miſericordiæ ortus eſt, mirabiliter extincti ignes, mitigati crudeles, fractæ ſunt factiones, reuocata à mortuis diu ſepulta PAX. Quando nimirũ Deus, prouidáque & conſultiſſima Statuum Electio, TE, Clementiſſime Domine, non modò merentem, ſed & neceſſarium conſtituerunt Principem: Ferro & flammis permiſtam Patriã extemplo conſolatus es, & peperiſti in tanta tempeſtate quietem. Interijſſet jam ſtrata Tranſſyluania, nî vigilantis Dei beneficio in illa tempora reſeruatus, ſufflaminatis calami-

tatum

tatum curribus, erexiſſes collapſam, oppreſſámque & extrema ſpirantẽ fulſiſſes. Quibus intentum, Clementiſſime Domine, lata ciuium laniena tantùm non ipſum Te, abſorbſit. Plúſque tunc potuit Conſtantia & benignitas Tua, quàm potentiſſima hoſtium arma; Gratia & humanitas Tua plus compoſuit in diſſidentium animis, quàm ingens anteceſſorum Principum vis & aſtutia; Ipſe etiam ſapiens, ideóque potens Turca, didicit, non ſemper phlebotomiâ morbos, motúſque ciuiles ſopiri. Pietate, clementia, lenitate, gratia, benignitate, raro exemplo Principatum aſſeruiſti. Nî porrò rebus multa deſpera-

tione feſſis Te auxiliatorem accommodabis, extremo gemitu ipſas ſub onere expiraturas nullus dubito. Quia paterno affectu etiamnum foues & Patriam amas, amaris maximè; ita vt ex illis Principibus vnum multi Te dicant, qui tutò & ſine periculo in cuiuſvis ſubditi gremio ſomnum capiunt. Vnam eámque grauem difficultatem, quæ reſtat, vinces; & inuenies modũ ſatiandi auaritiam impiam Portæ ſemper apertæ, ex Repub. macie attenuatâ ac ad imam inopiam, per præterita tempora, redactâ; Si ſcilicet illi prohibeantur plurimum emere, qui nihil vendunt; & vendere edoceantur qui ſemper

emunt.

emunt. Sed hæc, Sapientiſſime Princeps, elaboratiori perſuaſione non indigent, dum ſuperſunt, Magnifici, Spectabiles, Fortes, Generoſi, Docti, Bethlenij, Bamfij, Capij, Beldij, Hallerij &c. quę magna lumina Aulam intimã Clementiſſimi Principis vnanimitate ſua nunquam inobſcurabunt: quin imò, Viri Maximi, concordes, vt per Dei gratiam ſunt, Celſitudinem Tuã inexpugnabili muro cingent, Patriam defendẽt, erigéntque digniſſimum æternæ Tuæ memoriæ obeliſcum. Veniam mereri ſinas hominem liberum & liberaliter educatum, quòd publicâ hac Epiſtolâ faſſus eſt, quæ priuatim ſentit; cuius de Pa-

tria bene merendi ſtudium ita ardens fuit, vt maluerit, ſi alterutrum eligendum foret, temeritatis, quàm ingratitudinis, argui; qui, cum Tullio, veriſſimè affirmare poteſt, eos demum ſe annos verè vixiſſe & viuere velle, quos in præclarum aliquod Patriæ commodum vel ornamẽtum conſumpſit impendétque. Libellum autem iſtum, qui magis præmittitur illis quæ parantur, quàm completus editur, in ſinum Celſitudinis Tuæ deuoluo; ſupplex & intimè oro, illum clementer amplexare; potenter defende, & Authorem eius gratiâ non indignum rere. Præterquàm enim, quòd omnium literatorum communes hoſtes,

ſtes, inuidia, maleuolentia, & calumnia, bonam mentem inuadunt, quidam in Tranſſyluania (magnorum ingeniorum ſepultura) liberiuſculè & licenter extinguunt, quod excitare multis præmiis alij conantur. Quia ſcilicet rudes ſunt, ſuâ cenſurâ doctos ſimiles ipſis futuros inepta perſuaſione credunt : Et quum per pudorem eis nocere aliter non poſſunt, exules in Patria ſinunt; dum attritis facultatibus, quas vel domi, vel longis peregrinationibus, & magnis librorum impendiis afflixerant; ipſos in contemptum pertrahant, ac, heu! ſolemni perſecutione literatos, optimè

bono Patriæ educatos, adigant ejurare ſtudia, pudere & pœnitere profeſſionis. Verùm, num iſta glorioſa & è Repub. ſint, iudicabitur, quando Deus & Clementiſſimus Princeps rationem exiget ab iſtis ingeniorum tortoribus. Qui certè doctiſſimus ipſe, minimè feret libidinem ignauorum, in dedecus & ſummum opprobrium præſtantiſſimi ordinis; neque obliterari & dehoneſtari ſordibus permittet Catalogum, in quem primus nomen dedit: nam earundem rerum fames erit, quarum nos hodie premunt faſtidia. DEVS Ter. Opt. Max. qui Regnum periculoſo loco ſitum, periculoſiſſimis

mis

mis temporibus Celſitudini Veſtræ credidit, Spiritu ſuo Conſtantiæ, Fortitudinis, & Sapientiæ Vobis veſtriſque ſucceſſoribus adſit! Dabam Lugduni Gallorum Anno M. DC. LXVII. Id. Maij.

CELSITVDINIS VV.

Humillimus, ſubditus

L. TOPPELTINVS
de Medgyes.

LECTVRIS

LECTVRIS S. P. D.

ANTIQVITAS omnis omne antiquum credebat maximum; Majorum ſuorum tempora fingebat aurea, ſua ſecula arbitrata ferrea: Quia ſcilicet recentia à Deis, propiùs etiam ad ipſos accedebant; vel, quia præſentium cenſura penè naturalis eſt; ſicuti veterum defenſio habetur religioſa. Non tàm laudabant antiqui in homine virtutem, quàm illam cum factis antiquorum comparabant: Quæ adulatio etiam Deos in ſocietates humanas traxit:

xit : Vitiorum autem vltima execratio, ſi fuerant inaudita. Certè, hodie in multa diuerſitate ingeniorum mira conſonantia eſt, Eſſe nihil, quod antiquum non eſt: Nam nobis Nobiles ignobiliſſimi ſunt, ſi ſuiſmet virtutibus emergunt; ſoli generoſi qui è lumbis Nimbrothi deducuntur; Doctiſſimi viri rudes audiunt, quia non vixerunt Ciceronis, aut æuo Quintiliani; vel ſi non componunt volumina centum. Martyres hodie nulli ampliùs, quia non Tiberius aut Diocletianus, ſed alij ipſos anguſtant occidúntque. Neque Imperia aut bella ſat magna ſunt, ſi non Oriens jungitur Occidenti. Sed jam neque Nationes honeſtæ ſunt, nî conſtet à Barbaris ipſas oriundas.

das.

das. Vnde, quemadmodum ſummis conatibus veteres annixi ſunt eruere ſuos Majores; Romanos enim non puduit Authores ſuos à Lupa lactatos ſcribere: antequam verò hanc originem ederent, & phyſicè & Hiſtoricè veriſſimum erat, rapaces admodùm & inſatiabiles dictos Romanos fuiſſe in ſubigendo Orbe, & multùm à nutrice imbibiſſe in præiudicium humanæ naturæ: Contentio etiam Ægyptiorum cum Scythis de antiquitate ſua, apud Iuſtinum, pernotabilis eſt: Ita noſtra ſecula non modò gentium Origines & propagines antiquorum, ſed omnes ferè abortus priuatarum inſuper familiarum in lucem traxerunt. Ego breui libello Clariſſimam

Patriam

Patriam meam, cum ſuis Originibus & aliquot antiquitatibus, in gratiam Gallorum & vicinorum Hiſpanorum, cupidis profero. Ea inquam, quæ curioſa mea adoleſcentia collegerat, non in futurum publicum, ſed in vlterioris ætatis ſolamen, quâ ſæpe acceſſimus per compendia quæ in vaſto Authorum prato ociosâ lectione parauimus. Adjunxi ad preces Amicorum, ſub Titulo Occaſuum, Reuolutiones Tranſſyluaniæ vltimi temporis, hiſtorica narratione conceptas, continuatáſque: illas ipſas quæ ante aliquot annos in peregrinationibus meis exciderant. Scripſi tenüi & eloquio humili: ſæpe verbis Authorum vſus ſum, vbi teſtibus magis quàm cerebello

opus

opus erat ; breuitatem ſequor, qualem in ſimilibus optarem ipſe ; nauſeamus enim ad codices in quibus plurimum verborum eſt, rerum parum. Vale, & fruere iſtis, benigne Lector, non carpe.

NOBILI AVTHORI.

GRATVLATORIVM.

DEcebali truncus, Trajani æterna columna,
Pontis & eiuſdem veſtigia cæca ſub vndis,
Hæc tria nos capiunt : capit & tua ſcriptio doctas
TOPPELTINE deas : quæ ſummo è vertice Pindi,
Danubij ad ripas tibi verè patria amanti
Decernunt ſtatuam, altâ ſuffultante columnâ,
In qua ſculpantur, libro quæ promis in iſto.
Quis verò pontem inſtaurabit? vt abſque perido
Te demirentur populi, miretur & ipſe

Turca, nihil ſolitus mirari.
O, ſi ille reſurgat
Magnanimus veſter Monachus, cui magna patrare
Ludus erat, quid non ſperari
poſſit ab ipſo!

A tous-tant qu'on voit de
Grands,
Qui pour gagner leur auoine
Se preſentent ſur les rangs,
Il leur donneroit le moine.

I. H.

IN

In Amiciſſimi & Generoſi
AVTHORIS
Librum,

EPIGRAMMA.

T*Ranſſyluanorum*, Dacicis de Gentibus, *Ortum*
Eruis. *Occaſum* ſed ſimul ipſe refers.
Occaſum, fallor; Nam nequicquam *occidit*, *Ortum*
Quæ tenet, *his Scriptis*, Patria *perpetuum*.

R. FORT.

MADRIGAL,

MADRIGAL,

Sur le même ſujet.

CE que la docte Antiquité
Nous a laiſſé de remarquable ;
Ce que l'Hiſtoire a raconté
De ſolide & de veritable :
Ce qu'en tant de differens lieux,
Vn long & penible voyage
A remarqué de curieux,
Se trouue dans ce rare Ouurage.
Encor, Lecteur judicieux,
Si tu veux y jetter les yeux,
En trouueras-tu dauantage.

Par le meſme.

ORIGINVM TRANSSYLVANORVM CAPVT PRIMVM.

De varia & multiplici Tranſſyluanorum, apud Hiſtoricos, commemoratione.

INCONSTANTIÆ omnia ſubſunt: Actiones etiam humanæ, (quibus nîl incertius) tot mundi tempeſtatibus inuolutæ, viciſſitudini ſubſint neceſſe eſt. Huius ſæculi quæ facies? Certè incognita præcedenti; Hoc iterum antelapſis minimè quadrat; Neque futurum iſtis reſpondebit. Vt res variant

ſubinde, ac cum ipſis ſua nomina: ſic Gentium & Regnum appellationes, vel ipsâ corruunt antiquitate. TRANSSYLVANIA, & veteres eius indigenæ, tot ferè nomina habent, quot Scriptores: Singuli, parum abeſt, de illis prodidêre diuerſa; incertum ignorantia vel æmulatione: Enimverò veteres plerique ignorantiâ magis quam ingenij malignitate de induſtria, falſi ſunt, & fefellerunt. Vnde etiam Flau. Ioſephus contra Appionem, Iudeæ gentis antiquitatem probaturus, non eſſe mirum, ait, ſi Græcorum priſci nullam Iudæorum mentionem fecerint, cum vel vicinia illis ignota fuerit. Nam Gallos & Hiſpanos, adeo Græci ignorarunt, vt Ephorus, accuratiſſimus alioqui ſcriptor, Hiſpaniam, vrbem vnam eſſe putauerit. Antiqui Hiſtorici, in mutandis, confundendiſve nominibus, præcipites, ſæpe Lectorem ſuſpendunt. Igitur (cum Amm. Marcell. *l.*27. *c.*3. loquor)

Parcimus

Parcimus opinioni magnorum Authorum, quos toties in contradictionibus deprehendimus, de ijs tantùm, quæ veritati magis conſentanea videntur, in præſentiarum dicturi.

Tranſſyluani olim veniebant generali nomine Scytharum. Trebell. Poll. *in Gall.* Vocabantur Gothi, *ibid.* Getæ, Dion *in Domit.* Daci, idem *in Trajan.* Dacia mediterranea, Amm. Marcell. *l.* 16. *c.* 6. *&* 9. Dacia Ripenſis, Iuſtinian. *in Nouell.* 11. *&* 131. *cap.* 3. Victophali, & Theruingi, Eutrop. *lib.* 8. Illyricum, Moeſia, Aurel. Vopiſc. *in Aur. cap.* 11. Pannones, Boſphori accolæ, Thraciæ vicini, Barbari, Borani, Carpi, Zos. *in Valer. & Gal.* Peucini, Trutungi, Auſtrogothi, Sigipedes, Heruli. Trebell. Pol. *in Claud.* Iaziges, Matanaſtæ, Cario *lib.* 4. *&* 5. *Chron.* Thauro Scythæ, Zon. *in Iohann. Zim.* Marcomanni Quadi Iul. Capit. *in Maxim.* Pannodaci, Laonic. Chalcocond. *de reb.*

*Turc.lib.*5. Thaifali, Paul. Diac. *in Grat.Valent.*11. *& Theod.VII.* Aur. Vict. *in Grat.& Theod.* Rō. *in Conſt.* Gothi, Hypogothi, Gepidi & Vandali, P.Diac. *in Theod.*II. Gantunni Flau. Vopiſc. *in Probo.* Amm. *lib.*31. Septemcaſtrenſes. Philip. Melanchton. Frid. Taub. *ad* 2. *Georg. Virg.* Comani, Nic. *Chon. de Imper.* Manuel. Comn. *lib.*5. Ardeli, Laon. Chalcocond. *lib.*7. *de reb.Turc.*

Ad poſtremum haud dubiè referri debet deriuatio vocis Hungaricæ *Erdely*, quo nomine Tranſſyluania venit. Patria, inquit Chalcocond. Iohannis fuit Choniata (hodie Hunnyad) Ardeli, id eſt, Tranſſyluaniæ, oppidum; Cum autem bellum arderet inter Pannones & Germanos, magna militaria edebat opera. Vbi præſentia ſua deſiderabatur ſtatim approperans fortiſſimè præliabatur. Poſtea congregatis ad eum aliis plurimis, vbique Illuſtris apparebat. Eapropter Ardeli Regionis Princeps, Pannonum

num concilio decretus eſt; Cui regioni cum imperaret, Sabatinum interfecit, eiuſque exercitum in fugam vertit. Hinc etiam vocabulum Tranſſyluania enatum conjecto. Hungaris namque Prouincia iſta idiomate ſuo vocabatur *Erdely*, Scriptoribus paulò aliter, *Ardeli*. Quum autem regionem iſtam Syluæ & Alpes ab Hungaria diſtinguunt, & in Hungarica lingua, *Erdô*, ſyluam ſignificat, Prouinciam iſtã Hungari rectè nominabant Tranſſyluaniam; eò quòd ibi degentibus omnino tranſſyluana erat. Similis appellatio orta eſt in Belgio, vbi Taniſulana Prouincia dicitur, quæ trans-Iſalam ſita terminos notiores demonſtrat. Sic Tranſſalpinam Valachiam vocamus, quia nobis ea trans alpes adeunda. Ant. Bonfinius, primus vt ego noui, Tranſſyluaniæ vocabulum vſurpauit, quem veluti Principem Hiſtoriarum Hungaricaliũ,

plerique ſequuntur ſcriptores, cóque jam liberè vtimur.

CAPVT II.

Antiqui termini Tranſſyluaniæ.

AMbitio degeneris humani generis infinita, definitos Regnorum regionúmque terminos neſcit. Nil tutum, à potente vicino. Omnium jurium vis eſt origo; Vi transferuntur, vi ceſſant imperia. Præſcriptione noſtra ſint oportet; heus malæ fidei poſſeſſor! ſpecioſa jura habes. Injurias occupatæ domus & ereptæ libertatis, quot gemitibus cœlo mittis? Mitte, quæſo, vnà memoriam parentum, quibus primò hæc præda tua ceſſit. Me pudet hæreditatis. Quia igitur terrarum termini illi ſunt duntaxat, quos victoris & potentis induſtria, aut victi & oppreſſi, figit ignauia, noſtræ Tranſſyluaniæ fines nullos

pono

pono expoſiturus ſaltem, quid de illis Antiquitas.

Eutropius *lib.*8. *Nerua*, ait, *ſucceſſit Vlpius Trajanus natus in Hiſpania; Is Daciam Decebalo victo ſubegit, Prouincia trans Danubium facta, in his agris quos nunc Thaifali tenent, & Victophali, & Theruingi habent. Ea prouincia decies centena millia paſſuum in circuitu tenuit.* Sext. Ruff. *breuiar. Trajanus Dacos ſub Rege Decebalo vicit, & Daciam trans Danubium in ſolo Barbarico Prouinciam fecit, quæ in circuitu decies centena millia paſſuum habuit.* Iornandes *lib.*1. *de Reg. & temp. ſucceſſ.* eadem confirmat. *Procul dubio felici æuo Daciæ adhæſerunt Mœſia, Pannonia ſuperior, Sarmatiæ pars, Moldauia, Malachia & Thraciæ fines. Hodie miſelli tantum non in vnicum cogimur oppidulum.*

CAPVT III.

De reliquiis Gothorum, ſeu Dacis, quos hodie Saxones vocamus.

ATHanaſius Kircherus, poſt ipſum Erichius & alij multi ſunt opinati, Saxones in Tranſſyluania Hiſtoriæ (inſigni fabulæ) Hamlenſi ortum ſui debere. Fabula ferè eſt talis: Quum anno octogeſimo quarto ſupra milleſimum & ducenteſimum in oppido Germaniæ Hamlenſi murum ingens copia prodiret, eſſetque ab ipſis tutum nihil & haud leue ciuibus immineret periculum; Tubicen, (Sathanam fuiſſe ferunt) qui miris modulationibus ſciebat mira, operam ſuam locandam oppidanis promittit, mox vrbe mures fidibus ſuis & cantu educit, & in proximo illos amne

amne ſuffocat. Quo perfecto mercedem ſtipulatam poſtulanti Hamlenſes negabant;Eapropter injurias vlturus, dum iſti ſacris operantur, tibicinio ſuo non exiguum puerorum numerum colligit, ac moderato receſſu in propinquum montem *Koppen* ipſos deducit. Atque exinde pueri Hamlenſium non apparuêre ampliùs.Hos iam ſupter terram in Tranſſyluaniam deductos dediſſe, ajunt, originem noſtris Saxonibus. Probare conatur hanc ſuam originem Kircherus; Chronica, inquiens,Tranſſyluaniæ teſtantur,circa annum 1284. diem Ioannis & Pauli, in Tranſſyluania ignotæ linguæ pueros derepente viſos, qui & ibi ſedem figentes linguam ſuam ita promouerint, vt in hunc diem Tranſſyluani non alia quam Germanico Saxonica loquātur. Addunt, veteres Hamlenſes in rei memoriam emendauiſſe ſua tēpora, ſcripſiſſéque. Anno poſt exitum puerûm noſtrorum. His nugis

omnem penè Europam induxerant ad figmenta iſta credenda, antequã Martinus Schookius & fabulam Hamlenſem, & iſtorum circa Tranſſyluanorum originẽ orta deliria, publico ſcripto confutaſſet. Schookius, inter alia contra Erichium: *Ne verò*, inſit, *cenſeatur hoſtis generis humani, hoſce pueros ſecum abripuiſſe ad ſedes infernales, noua fabula pro ſtatuminanda principali fabula eſt excogitata, quaſi ſcilicet fidem facientibus annalibus Tranſſyluanicis, pueri hi in extremum Europæ angulum, ſint abducti, quod ibidem circa hoc tempus derepente ignotæ linguæ pueri apparuerint.* Ita cenſet cum pluribus Kircherus: in medio autem rem relinquit Erichius. At, cedo illi Annales, qui hoc referant. Certum eſt in media Tranſſyluania receptũ at huc hodie eſſe vſum linguæ Saxonicæ, ac multos ibi inueniri, qui originem ſuam referant ad Saxones ſiue Germanos. Quis verò dixerit, eos oriundos eſſe hiſce pueris.

pueris, à Diabolo per tam longum ſpatium tranſuectis? Patauij ad S. Laurentium ſequens inſcriptio legitur, quam ferè extinctam ego legere non potui. *Valentino Græuio, alias Bacfort, è Tranſſyluania Saxonum Germaniæ colonia oriundo, quem fidibus nouo plane & inuſitato artificio canentem audiens ætas noſtra, vt alterum Orpheum admirata obſtupuit. Obijt Anno M. D. LXXVI. Idib. Aug. vixit annos LXIX. Natio Germanica vnanimis, & teſt. exec. P.*

Quis credat integram nationem fruſtra fuiſſe, cum hoc populari ſuo Epitaphium ſtatueret, eique non veniſſe in mentem, hunc Saxonem origine Hamlenſem fuiſſe? Vt coloniarum ſubſidio regiones remotiſſimæ jam olim cõjunctæ fuerunt, & idiomata per quam diſtincta, tranſplantata, imo vltra maria quoque promota, omnino è Saxonia non procul admodum diſtante, quidam, incertum tamen quo tempore in Tranſſyluaniam proximam-

que Hungariam demigrare potuerunt. Equidem miror Athan. Kircherum, magnum alioquin in literis virum, tanti erroris authorem perhiberi: Dum Chronicon illius æui de Tranſſyluania nullum reperiatur; quin imo in ſecretiori Regni noſtri ſcrinio (id *Captalan* vocamus) ſummo noſtro dolore deſideratur. Quid igitur vetat etiam Hieroſolymis dàri mendaces. Ipſam præterea fabulam Hamlenſem nemo ſanus credit, quum eam boni Hiſtorici omiſerint. Vide, *infrà*, copiam Diplomatis Andreæ Regis Hungariæ Saxonibus iſtis in Tranſſyluania datum. Vbi animaduertes id actũ eſſe anno Chriſtiano 1224. Fabulam autem hanc anno 1282. demum natam, vt refert Kircherus. Atque ſic deprehendes, ſecundùm Erichium, pueros iſtos Hamlenſes, in Tranſſyluaniam veniſſe (ego credo, apud inferos detenti ſunt, quia non licet per centrum terræ ſpatiatum ire) ſexaginta annis poſt priuigelia

uilegia Andreæ Regis Saxonibus collata ; atque adeo dediſſe originem illis qui dudum ibi fuerant. Iter hoc ipſe nouerit Erichius, facem præferente Kirchero. Ego interim miror quòd nuſquam niſi iſtis duobus apparuerint hi pueri, & pueriles fabulæ refutatione dignæ fuerint.

Antonius Bonfinius *Rer. Hungar. Dec.1. lib.9.* Saxones iſtos arbitratur à Carolo Magno in Tranſyluaniam tranſplantatos. Verba eius ſunt: *Sed vt Saxonum vires honeſtius extenuarentur, multæ quoque ex his in Daciam, Pannoniam, diuerſáſque regiones deductæ à Carolo Magno coloniæ, quarum adhuc innumera Sarmatiam, vlterioremque Daciam incolunt.* Suffragatur huic Giſel. Busbequ. *Epiſt.4. leg.Turc.* Cis & Tranſalpianas ſcilicet Saxones, à Carolo Magno in Tranſſyluaniã, vſque ad Tauricam Cherſoneſum traductos fuiſſe. Arridet P.Manutius *in deſcr.Tranſ. Carolus Magnus,*
ait,

ait *Saxones toties rebellantium partem in Daciam traduxit, vnde origo ciuitatibus Saxonicis in Tranſſyluania.* Vid. etiam Chriſtoph. Forſtn. not. *lib.*4. *Ann.* Corn.Tac.*f.*306. Mille alij Bonfinium aſſertionis anteſignanum ſecuti ſunt parum de antiquioribus monumentis ſolliciti. Eſt autem altum huius rei ſilẽtium apud Hiſtoricos, adeóque facilè iſtæ authoritates grauioribus authoritatibus refelli poſſunt. Maginus *in Geograph.* ſub Tranſſyluania, probat, ante Carolum Magnum in hac Prouincia Saxones fuiſſe. Idem ſenſit Blondo Hiſtoricus. I. Lipſius qui omnem deguſtauerat antiquitatem *lib.*1. *Magn.Rom. c.vlt. Carolus Magnus* ait, *Saxones ſæpè rebellantes, tranſlatione in Belgicas Prouincias domuit.* Idem confirmat Æmil. *de reb. geſt. Franc.* Si igitur in Belgium abacti Saxones, quis affirmare auſit in Tranſſyluaniam eoſdem deductos. Cario *Chron.l.*4. *Quæ verò,* ait, *deductis ex Saxonia*

colonijs

colonijs à Carolo in Daciam, feruntur, fabuloſa ſunt.

Tertia & ſpecioſior opinio eorum eſt, qui vel Saxones ſuis ſedibus egreſſos in Daciam, & Pannoniam ſuperiorem deueniſſe, vel Germanos, deuictis & expulſis Hunnis, regionis fertilitate retentos eſſe, atque hinc, eâdem ferè linguâ ipſos vti. Iterum commenti primas eſt Bonfinius toties ſibi contrarius; Eius aſſecla Thuanus *l.2. Hiſt. Iidem*, infit iſte, *Saxones Orientem verſus veteres fines egreſſi, Boruſſos & Tranſſyluanos, qui hodie appellantur, Germanicè loqui docuerunt.* Sed fides toties deprehenſi Bonfinij & elumbis Thuani conjectura parum in hoc propoſito eſt attendenda.

Conijciunt alij cum Alberto Huttero, (Is erat vir generoſiſſimus ſimul & doctiſſimus; Doctos enim Regios Iudices, Reſpub. Cibinienſis quondam ſibi præfieri ſtuduit,) in Oratione coram Sigiſ-
mundo

mundo Battorio de Somlio Albæ Iuliæ ann. 1591. menſ. Iun. habitâ, Saxones, regnante Geyſa in Tranſſyluaniam deductos; quia videlicet dictum Regem ſtrenuè auxiliaribus copiis iuuiſſent, Tartaróſque, qui & Tranſſyluaniam occupauerant omnem, & grauiſſimè jam inſultarent Hungaris, ex iſtis partibus abegiſſent; demum pro gratitudine Geyſam Saxonibus Daciam contuliſſe ferunt. Quia prima Priuilegia & antiquiora Rex iſte, Saxonibus dediſſet. Verùm induci non poſſum vt credam probabiliori etiam conjecturæ, ſi eam fugiunt Hiſtoriæ.

Ex priuilegiis claudicanter admodum gentium originem colligas. Sequitur exemplar Immunitatum Andreæ Regis, Saxònicæ Nationi, per Tranſſyluaniam collatorum: [In nomine S. Trinitatis & indiuiduæ vnitatis, Andreas, Dei gratiâ Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Seruiæ, Galiciæ,

Ludo

Ludomiriæque Rex in perpetuum. Sicut ad Regalem pertinet dignitatem, ſuperborum contumaciam potenter opprimere; ſic etiam Regiam decet benignitatem oppreſſiones humiliũ miſericorditer ſubleuare, & fidelium metiri famulatum, & vnicuique ſecundùm ſua propria merita, retributionis gratiam impertiri. Accedentes itaque fideles noſtri Teutonici, vltra Trãſſyluani vniuerſi ad pedes noſtræ Majeſtatis, humiliter nobis conquerentes, ſua quæſtione ſuppliciter nobis monſtrauerunt, quòd penitus à ſua libertate, quà donati fuerant à pijſſimo Rege Geyſa, auo noſtro, excidiſſent, niſi ſuper eos Majeſtas Regia oculos ſolitæ pietatis noſtræ aperiret, vnde præ nimia paupertate nullum Majeſtati Regiæ ſeruitium poterat impertiri. Nos igitur juſtis eorum querimoniis aures ſolitæ pietatis inclinantes, ad præſentium poſterorúmque notitiam volumus deuenire, quòd nos

nos Antecesſſorum noſtrorum piis veſtigiis inhærentes, pietatis mori viſceribus, priſtinam eis reddimus libertatem. ita tamen quod vniuerſus populus incipiens à Varoſs vſque ad Barals cum terra Siculorum, terra Sebus, & terra Daraus, vnus ſit populus, & ſub vno Iudice ceaſeatur, omnibus Comitatibus, præter Cibinienſium, ceſſantibus radicitùs. Comes verò quicunque fuerit Cibinienſis nullum præſumat ſtatuere in prædictis Comitatibus, niſi ſit infra eos reſidens, & ipſum Populi eligant, qui melius videtur expedire. Nec etiam in Comitatu Cibinienſi aliquis audeat comparare pecunia; Ad lucrum vero noſtræ Cameræ quinge[illegible] marcas argenti da[illegible] nuatim: null[illegible] quemliber[illegible] minos [illegible] excl[illegible] h[illegible]

quod pecuniam, quam nobis ſoluere tenebuntur, ſeu dignoſcuntur, cum nullo alio pondere, niſi cum marca argentea, quam piiſſimæ recordationis Pater noſter Bela eiſdem conſtituit, videlicet quintum dimidium fertonũ Cibinienſis ponderi, cum Colonienſi denario, ſi diſcrepent in ſtatera, ſoluere teneantur. Nunciis vero, quos Regia Majeſtas ad Dicam colligendam ſtatuerit, ſingulis diebus, quibus ibi moram fecerint, tres lottones pro eorum expenſis ſoluere nõ recuſent. Milites verò quingenti intra Regnum & regni expeditionem deputentur; extra verò Regnum cen[illegible] Rex in propria perſona [illegible] [illegible]gno Iubagio- [illegible] adjutorium [illegible]priis negotiis, [illegible]mmodo milites [illegible]. Nec Regi vltra [illegible]rum poſtulari li- [illegible] mittere tenean- [illegible] ſuos liberè [illegible] eligant.

eligant, & electos repræſentent, & ipſis decimas perſoluant,& de omni jure Eccleſiaſtico,ſecundum antiquam conſuetudinem,eis reſpondeant. Volumus etiam firmiter præcipimus, quatenus illos nullus iudicet, niſi nos, vel Comes Cibinienſis, quem nos eis loco & tempore conſtituemus. Si vero coram quocunque Iudice remanſerint, tantummodo iudicium ordinarium reddere teneantur. Nec eos etiam aliquis ad præſentiam noſtram citare præſumet, niſi cauſa coram ſuo Iudice non poſſit terminari. Præter ſupra dicta, ſyluam Blacorum & Biſſenorum cum aquis vſus communes exercendo, cum prædictis ſcilicet Blacis & Biſſenis eiſdem contulimus, vt præfatâ gaudentes libertate, nulli inde ſeruire teneantur. Inſuper eiſdem conceſſimus, quod vnicum ſigillum habeant, quod apud nos & Magnates noſtros euidenter cognoſcatur. Si vero aliquis eorum aliquem con-

uenire in cauſa pecuniali, coram Iudice non poſſit vti teſtibus, niſi perſonis infra terminos eorum cõſtitutis, ipſos ab omni Iuriſdictione penitus eximentes, ſaléſque minutos; ſecundum antiquam libertatem, circa feſtum Georgij octo diebus circa feſtum D.Regis Stephani, & circa feſtum B.Martini ſimiliter octo diebus, omnibus liberè recipiendos concedimus, quod nullus Tributariorum nec aſcendendo nec deſcendendo præſumat impedire eos; Syluam verò, cum omnibus appẽdicibus ſuis & aquarum vſus, cum ſuis meatibus, quæ ad ſolius Regis ſpectant donationem, omnibus tam pauperibus quã diuitibus liberè concedimus exercendos. Volumus etiam, & Regia authoritate præcipimus, vt, nullus de Iubbagionibus noſtris Villam, vel prædium aliquod à Regia Majeſtate audeat poſtulare: ſi verò aliquis poſtulauerit, indulta eis poteſtate à nobis, contradicant. Statuimus

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

mus inſuper dictis fidelibus, vt cum ad expeditionem ad ipſos nos venire contigerit, tres deſcenſus tantum ſoluere ad noſtros vſus teneantur. Si vero Vayuoda ad Regalem vtilitatem ad ipſos vel per terram ipſorum tranſmittetur, duos deſcensus, vnum in introitu, & alterum in exitu, ſoluere non recuſent. Adijcimus etiam ſupradictis libertatibus, quod mercatores eorum, vbicunque voluerint, in regno noſtro, liberè & ſine tributo vadant & reuertantur, efficaciter jus ſuum, Regiæ Majeſtatis intuitu, proſequentes. Omnia etiam fora ipſorum, ſine tributis, præcipimus obſeruari. Vt autem hæc, quæ antea dicta ſunt, firmiter & inconcuſſa permaneant in poſterum, pręſentem paginam duplicis ſiglli noſtri munimine fecimus roborari. Datũ anno ab incarnatione Domini, Milleſimo Ducenteſimo Vigeſimo-Quatto, Regni autem noſtri, vigeſimo primò.]

Quam

Quam nihil hæc omnia ad originem Saxonum faciant vel me tacente poterit animaduerti; Et forſan iſta Priuilegia nondum viderant, qui nobis ea opponebant.

Idem Albertus Hutterus, in eadem Oratione, hanc Nationem à Sacis deriuare videtur, certâ gente vetuſtiſſima, Herodoti, Strabonis, & Ptolomæi authoritate ſubnixus; Hanc ſuam opinionem doctam fuiſſe arguit Oratio Alexandri Magni apud Curtium *lib.6. c.3.* Is, *Sogdiani*, inquit, *Dahæ, Maſſagetæ, Sacæ, eiuſdem Nationis ſunt.* Sed quid vetat, ſi Saci cognominati ſunt aliquot Dacorum populi, modo, vt Curtius innuit, ipſos eiuſdem Nationis fuiſſe conſtet. Etiam Vincentius Beluacenſis, *Spec. Hiſt. l. 30. cap.* 87. Saxorum gentem ſtringit, quæ à Tartaris fuerit anguſtata. Verba eius ſunt: *Plurimis itaque terris in ſeruitutem eorum redactis, quædam viriliter reſtiterunt eis, India nimirum magna & pars*

Alanorum,

Alanorum, *&* *quædam magna pars Kittorum & gens Saxorum:* Sed quũ duodecimo demum ſeculo Chriſtiano hæc acta fuerint, & propoſitum noſtrum remotioris ſit indaginis, Originem almæ huius Nationis, altiùs paulò accerſemus.

Sunt autem, vt mea fert opinio, Gens iſta, veteres Daci, ſeu reliquiæ Gothorum. Semel noto, Dacos Getas, & Gothos, pro ijſdem haberi. Dion *in Dom. & Trajan.* Iul.Capitol.*in Maximin.* Æl.Spart. *in Anton. Carac.* Iordanes, Olaus, & Ioan. Magn. D. Girolam. Cannell.tau.de nom. e luog. antiq. piu oſc. di C.Tac. Quia

I. A vocabulo Daci ſiue Deci ad *Detſen*, *Decen*, ſiue *Detſchen* facilis lapſus: Ita enim Saxones Tranſſyluani ſe vocant. Germanos autem appellant *Mueſr*, (quam dictionem à Gallico *Monſieur*, deriuamus) quod nunquam feciſſent in contemptum ſuorum Majorum.

II. Quia à prima Germanorum

inno

innoteſcentia ab inuicem populi fuêre diſtincti. Corn. Tacitus primus de Germanis Hiſtoricus *de ſit. mor.& pop. Ger.* Germanos, ait, à Dacis mutuo metu & montibus ſeparari.

III. Quia ſecundum aliquos Germani omnes, adeóque ipſi Saxones, à Dacis ſeu Tranſſyluanis deſcendunt: Germanicus ſcriptor Petrus Bertzius *Comm. rer. Germ. lib.* 1.*c.*2. *Germani*, inquit, *nobiliſſimi Europæ Populi à Dacis originem habent, Hiſpaniæ quoque præcipua nobilitas Gothici ſanguinis ortum jactat.* Iam vero nec Hiſpanos Proceres pudet ſe ad Gothos Majores referre (vt Iacobus Zieglerus contra Stunicã refert, generiſque claritudinem inde repetere. Ideóque *in Concil. Toletano* 5. *art.*3. ſtatuitur, neminem in Regiæ dignitatis faſtigium eligendum eſſe, quem Gothicæ gentis nobilitas ad hunc honorem non traxerit. Sed ad rem: Samoſcius *in Mſſ.Orig.Hung.* Ger-

manos ait, Gothorum fuiſſe ſtirpem, & Gothos Germanicè locutos fuiſſe certius eſt quàm vt oſtendi debeat, id quod ne ipſi quidem Germanorum docti inficias eunt. Iuſtus Lipſius probat *l.2.cap.6.lect. antiq.* Germanos antea Barbaros, demum ab Auguſto per vrbes primum diſtributos, opera potiſſimum Tiberij. At Daci noſtri quantò innoteſcentia ſua iſtis antiquiores? Tantum igitur abeſt, vt Tranſſyluani illi Gothi, à Germanis Saxonibus deriuentur, quin contrarium, vti oſtenſum eſt, vero ſit ſimilius. Quia

IV. Corruptela linguæ Italicæ à Gothis & Longobardis inuecta, noſtrûm Dacorum eſt idioma.

V. Quia in Tranſſyluania præcipua veterum Dacorum ſede, aut Hungari, aut Valachi, aut Szekhelyj, aut Saxones ſunt Gothorum reliquiæ; non autem tres illæ nationes aduenæ antiqui Daci eſſe poſſunt; vnde vltima eius ſit originis

neceſſe

neceſſe eſt. Si colonia Romana ad noſtra vſque tempora durat, probabilius, labente illorum imperio, reliquias Gothorum ſupereſſe hodie in Tranſſyluania; qui omnium primi, ſi Hiſtoricis credendum eſt, hanc mundi plagam tenuêre. Illi verò Scythia oriundi aut Trajani arbitrio huc deducti, & mox Adriani voluntate, deſtructo mirabili pōte Danubij, reuocati fuerint. His noſtris argumentis præcurſat Chron.Carion. *lib.4.de reb.geſt.Car. M.* verba ſunt: *Quæ vero deductis ex Saxonia colonis à Carolo M. in Daciam, quæ nunc Tranſſyluania eſt feruntur, fabuloſa ſunt; Tranſſyluanos enim Dacorum & veterum Gothorum reliquias eſſe non dubito: quibus acceſſiſſe conijcio Pannoniæ ſuperioris colonos Germanos, quando pulſi ab Hunnis & Auaris nouas ſedes quæſiuerunt.* Magin. *in Geogr. ſub Trans. Aduerte, extra Tranſſyluaniam Pannonum accolas Germanos, & diuerſum à Saxonibus dictæ Tranſſyluaniæ lin-*

gua Germania idioma loqui, & ſe invicem vix intelligibile. Philip. Melancht. Dacos fuiſſe cenſet quos nunc Septemcaſtrẽſes appellamus, cui reſpondet Germanicum *Siebenburgen.* Martinus Zeillerus *relat. var. epiſt.* appoſitè : *Ichiuolte ſchier glauben das die Gothen nicht veit von Siebenburgen geuohnet haben, da noch heutt Gothen, das iſt, Deutſchen Sind.* Noſtræ opinionis fuit etiam Lazarus Soranza *in Ottom. part. 3. c. 86. p. 147.* Verba eius ſunt : *Sono ſenza dubio i Trãſilutani ſtimati de piu bellicoſi popoli de gli antichi Daci, tanto temuti da Romani, ch' hauendo vinto gli eſſerciti di Domitiano furono Sforzati eſſi Romani di pagar loro Tributo ſotto lo Steſſo Domitiano, ſotto Nerna, è nell principio dell' imperio di Trajano, accioche a lor danni non paſſaſſero il Danubio; lo ſanno molto ben i Turchi per le rotte, c' hanno piu volte hauute dal Coruino, da due Battori, e finalmente da queſto terzo, c' hoggidi guereggia con eſſi*; Id eſt: Habentur

procul

procul dubio Tranſyluani pro bellicoſiſſimis Europæ populis : iſti cum Moldauis & Valachis ſunt antiqui Daci, tantopere à Romanis formidati, & qui profligato Domitiani Exercitu coëgêre dictos Romanos, vt tempore Domitiani, Neruæ,& principio Trajani,tributa ſibi perſoluerent : ne trajecto Danubio damna illis inferrent; Probè norunt Turci quantas clades acceperint à Coruino, à duobus Bathoriis, & demum à tertio, qui hodie cum ipſis bella gerit. Non diſſenſit etiam D. Girolam Canin. nell. Tau. *de nom. & luog. antich. piu oſcur. di Tac. Daci, i medeſimi che i Geti, tennero per loro abitatione tutto quell paeſe, che hoggi racchiude tutta la Tranſyluania, la Valachia e la Moldauia.* Hoc eſt. Daci, ſeu, Gethæ regionem incoluerunt omnem, quam hodie complectuntur Tranſſyluania Valachia & Moldauia.

Gothorũ autem originem Ioan-

nes Magnus trahit à Magogo Noachi nepote, & magnam Gothorum Regum proſapiam contexit, qui omnem Euxini maris plagam, Pannonias, Daciam vniuerſam & circumjacentes regiones occupauerint, inhabitauerintque. Sozomenus Gothorũ patriam, trans Iſtrum ponit *lib.*4. *cap.*37. Iam etiam his antiquiores Plinius, Strabo, Dionyſius, Ptolomæus, aliique qui de Getis & Dacis multa, nobiſcum ſentiunt. Sub Valente tandem Imperatore Gothi ab Hunnis victi fugatique mari Balthici partes petierunt. Reliquiæ autem ipſorum Gothorum, ad hunc vſque diem in Dacia priſtina nobilitate orbati viuimus obſcuri. Non igitur Gothi adeo obſcœnæ deriuationis ſunt, ac Samoſcius *in Orig. Hung.* nobis affinxit: Gothi, inquiens, nominis etymon ex Albico Sigiſmundi Cæſaris, & Regis Hungar. Medico ac poſtea Archiepiſcopo Pragenſi deſignato, cuius & Bonfinius & Pius

Pontifex

Pontifex in Chronico Polonorum meminerant. Is in libello quem inſcripſit de complexionibus gentiū, ſcribit, Gothos ob aduentum Hunnorum, panico quaſi terrore perculſos, derepente Pannoniæ poſſeſſione ceſſiſſe, ac Illyrium verſus iter intendiſſe: móxque eos per veſtigia Hunni inſecuti, ad Danubij trajectum fœda ſtrage affeciſſe; & quia nullo virium periculo facto, hoſti aduentanti turpi ignauia terga vertiſſent, quoſcunque viuos prælio cœperant, hac infamiâ notaſſe, vt fœmoralia ſeu campeſtria quæ Hunnis Gothia *(gadgya)* vocantur, natibus detracta, ac craſſiore excremento oblita, quæ quandoque pauore percitis laxata aluo vel inuitis effluunt, capitibus captiuis inuoluerent, vt, quæ antea natium erant, oris eſſent poſtea velamina. Ita tum bello, tum ignominia, belli clade grauiore attriti ex Patrio Hunnorum verbo, Gothi ſint poſtea militari irriſione appellati.

Et hoc eſt, pergit ille, quod Dominicus Niger, Scythiam Aſiaticam veterem Gothorum Patriam, etiam nunc ab incolis patria lingua *Sargatia*, dici teſtatur, à ſtercore & fœmorali compoſita dictione. Sed hanc calumniantium cateruam cõtemnimus.

CAPVT IV.

De Hungaris & Hunnis.

HVngari, Scythæ, Vnni, Hunni, Leuci, Albani, Auari, Vngri, Turci, Pacinaces, Pannones, promiſcuè apud Hiſtoricos reperiuntur. Proc. *de bell.Goth.* Amm. *l.*31. P.Diac. *in Grat.*Zon.*in Conſt.*Leon. f. Idem in Neceph. Phoc. Laonic. Calc. *l.*2. Blond. *Dec.*2.*l.*2.

Originis Hungarorum receptior opinio eorum eſt, qui ab Hunnis Scythica gente, ipſos deducunt, (Bonf. *Dec.*1. *l.*1.) profectis in Panno

Pannoniam ab ea parte Scythiæ, quæ Iuhra appellatur,quæue regio hodie tributaria eſt Magno Ruthenorum Duci; vbi etiam hodie indigenas Hungaricè loqui dicuntur. Faber primus author huius aſſertionis perhibetur. Poſt iſtum Michouius Polonus, qui male colligit ipſam ex Turocio; Michouium & Sigiſmundum Baronem ſecutus eſt Ioannes Aubanus Bohemus *in libro de moribus gent.* Vnde poſtmodùm certatim incauti ſcriptores eandem arripuêre, ex incerta ſcilicet aliorum relatione ſuæ narrationi fidem adſtruentes; Ita ab vno in alios atque alios manauit vt ſolet opinio. Leonclauius quo in his arcanis videatur acutius cernere, veteres Iuhriæ indigenas, eadem adhuc cum Hungaris lingua vti diuinauit.

Verior autem mihi videtur ſententia illorum qui Aſia oriundos arbitrantur Vngaros. Id à doctiſſimis viris conſenſu omnium pene

Hiſtoricorum approbatum eſt. In hanc rem Ioannes Samoſcius *in Mſſ. Orig. Hung. Nec de Hungarorum*, ait, *Aſiatica Patria litem antehac quiſquam, veluti de re minime controuerſa, mouere auſus eſt, præter Matthiam Michouium, qui Critici perſona indutus futili temeritate in Septentrionis neſcio quas voragines gẽtis Vngaricæ primordia inſtruſit.* Hunni, Vnni, ſiue, Chuni, ab Mageris diuerſi, vicini tamen, populi fuere, Plinio teſtante. Quibus ita conſtitutis illud porro luculentius conſiderandum eſt; Vngaros ſiue Magares ex Albania quidem ortos, & in Europam progreſſos, ſed ex Orientis penitioribus partibus oriundos eſſe, idque conſenſus antiquorum, hiſtoriæ, domeſtica populariſque fides, adeoque veritas ipſa ſuadet. Huc Turocius, huc Bonfinius (ex Æn. Sylu.) & Prior vtriſque Marcus, Vngarorum Origines referunt. Vngari è Perſidis Indiæque finitimis, ſenſim in Euxini littora pro-

ceſſiſſe. Ita vt Herodotus *lib.* 4. Cimmerios, Boſphoranos, vbi nuperrimis ſeculis Hunnorum ſedes fuit, vlteriora Aſiæ aliquando tenuiſſe ſcribit; Verùm à Scythis interioribus pulſos magis occidua tandem petijſſe. Nec Hunni & Vngari, cũ adhuc Aſiæ interiores plagas incolebant, Græcis Romaniſque noti erant. Ideoque ætate Plinij fama tantum & auditione accipiebantur. Verùm vbi propius Europam veniſſent, plus ſatis innotuerunt. Diximus paulò ante Magaros populos, qui haud dubiè Magares ſunt, ad Indiæ citeriora collocari à Plinio *lib.6.c.*20. Huic Plinianæ deſcriptioni conſentit Sinarum Indiæ populorum topographia, qui vltra Gangem poſiti, deſertas terras Ortum verſus & Meridiem habent ex Ptolomæi delineatione. Qui dum in extremis Aſiæ finibus ignoti delituerint, hocce ſeculo & præcedenti, quibus in Orbis terrarũ partibus perluſtran-

dis, nihil ſibi reliqui ad ſummam dil gentiam humana induſtria fecit, editus de ijs libellus eſt Chinarum titulo, vbi mirabilis gentis ſolertia, ritúſque ab Hungaris diuerſi deſcribuntur. Narratur iſtic, Chinis populos eſſe finitimos, qui etiamnum vocentur Megori; *Ingens* inquit, *& ipſi armorúmque gloria inclytum regnum poſſident, quorum Metropolis eſt Samarcanda: Hi à nullis nationibus in ſeruitutem redacti dicuntur.* Hæc de China Author. Quæ ſi vera ſunt non eſt dubium, quin hi Megori Pliniani ſint Megari, ipſorúmque Hungarorum Majores: Nam Hungarico vocabulo hodie ſe vocant Magiarios. Porro Samarcanda Ptolomæo Sarmagana, Ariæ regionis in Aſia Vrbs eſt. Vrbs Sogdianæ regionis Arriano & Curtio. Eam Aſiæ partem Tamerlanes & nunc Tartarorum multiplex Natio occupat. Hic & illud addere libuit, quòd Samozcius *in Mſſ. Or. Hung.* adfert: Proximis annis ad Amura-

them Turcarum Imperatorem, ex vetere illa Magarum Patria Legatum Conſtantinopolim veniſſe, à fide dignis, & quorum authoritas in conſpicuo eſt accepi. Is gratiam atque amicitiam publicè priuatímque regi ac regno petiturus, tam honorificè à Turcarum Tyranno acceptus fuiſſe traditur, ac ſi perpetua deuinctus conſuetudine, non vt ad familiaritatem Imperatoris ſe applicaturus, ſed ab hoc inuitatus Rex illorum eſſe videretur. Is vbi Europæum Vngarum, ibi eſſe cognouiſſet (aderat autem à Cæſare Rudolpho ad Turcam miſſus magnæ quidam vir prudentiæ & virtutis) ad ſe inuitatum comiter Patrio ſermone, quem vt Orator Cæſareus intelligeret allocutus eſt, ac vltro citroque habito colloquio, Audio, inquit ille, vos alienigenarum quorundam contubernio promiſcuè permiſceri. Cum Orator Cæſareus annuiſſet, ita quandoque vſu ſolitum venire. Tum ille, Hæc,
inquit,

inquit, eſt ratio, quod Martia illa indoles, qua quondam toti Europæ & Aſiæ terrori fuiſtis, ſenſim in vobis exoleuerit, externóque hoſti prædæ facti eſtis. Nos vero aborigines veſtri, vt arbitror, ita generis noſtri proſapiam tuemur, vt exterorum affinitatem ad nos corriuari, ex vetere gentis inſtituto capitale cenſeamus. Vnde fit vt aſperis barbariſque ſepta gentibus, vetus illa & intaminata natio, ſuiſmet ipſorum viribus quantumuis infeſtos hoſtes ſuſtinere ab omni æuo valeat. Dicebat præterea, ſe minime Legatum de pace aut fœdere conciliando eſſe ad Imperatorem Turcarum miſſum, quippe cuius arma neutiquã ad eas oras adhuc penetraſſent, omniáque illa eſſent à periculo & diſcrimine vacua: Sed vt, quæ juſtæ cauſæ neceſſitudinis eſſent, notitia & familiaritate in eandem amicitiam, ille Magarũ Rex, ſe cum hoc Imperatore aggregaturus eſſet. In gratiam curioſorum
adducam

adducam locum Amm.*l.*31.vbi elegãtiſſimè antiquos Hunnos depinxit. [Hunnorum autem gens, monumentis veteribus leuiter nota, vltra paludes Mœoticas glacialem Oceanum accolens, omnem modum feritatis excedit, Vbi quoniam ab ipſis naſcendi primitiis infantum ferro ſulcantur altius genæ, vt pilorum vigor tempeſtiuus emergens, corrugatis cicatricibus hebetetur; ſeneſcunt imberbes abſque vlla venuſtate, ſpadonibus ſimiles. Compactis omnes firmiſque membris & opimis ceruicibus prodigiosè deformes & pandi, vt bipedes exiſtimes beſtias, vel quales in cõmarginandis pontibus effigiati ſtipites dolantur incomptè in hominum figuras: ſic & in ſua vita viſi ſunt aſperi, vt neque igni neque ſaporatis indigeant cibis, ſed radicibus herbarum agreſtium & ſemicruda cuiuſvis pecoris carne veſcantur, quam inter femora ſua & equorum terga ſubſertam fotu calefaciunt

lefaciunt breui. Ædificiis nullis vnquam tecti, ſed hæc velut ab vſu communi diſcreta ſepulchra declinant: nec enim apud eos vel arundine faſtigiatum reperire tugurium poteſt. Sed vagi montes peragrantes & ſyluas, pruinas, famem, ſitímque perferre ab incunabulis aſſueſcunt. Peregrè tecta, niſi maxima adigente neceſſitate non ſubeunt: Nec enim apud eos ſecuros exiſtimant eſſe ſub tectis. Indumentis operiuntur lineis, vel ex pellibus ſylueſtrium murum conſarcinatis. Nec alia illis domeſtica veſtis eſt, alia forenſis; ſed ſemel obſoleti coloris tunica collo inſerta non ante deponitur, aut mutatur, quàm diuturna carie in pannulos defluxit defruſtata. Galeris incuruis capita tegunt, hyrſuta crura coriis munientes hœdinis. Eorumque calcei formulis nullis aptati, vetant incedere greſſibus liberis; qua cauſa ad pedeſtres parum accommodati ſunt pugnas. Verùm

equis

equis prope affixi, duris quidem, ſed deformibus & muliebriter (propter collectos pedes) iiſdem inſidentes funguntur muneribus conſuetis. Inter ipſos quiuis in hac Natione pernox & perdius emit & vendit, cibúmque ſumit & potum, & inclinantes ceruici anguſtæ iumenti, in altum ſoporem ad vſque ſomniorum effunditur varietatem. Et deliberatione ſuper rebus propoſita ſeriis, hoc habitu omnes in commune conſultant. Aguntur autem nulla ſeueritate regali, ſed tumultuario primatum ductu contenti, perrumpunt quicquid inciderit. Et pugnant nonnunquam laceſſiti, ſed ineuntes prœlium cuneatim, variis vocibus ſonantibus toruum. Vtque ad pernicitatem ſunt leues, ita ſubito de induſtria diſperſi lugeſcunt, & impoſita acie, cum cæde vaſta diſcurrunt, nec inuadentes vallum, nec caſtra inimica pilantes præ nimia parte decernuntur. Eóque omnium acerrimos facilè dixeris

dixeris bellatores, quod procul miſſilibus telis, acutis oſſibus pro ſpiculorũ acumine arte mira coagmentatis, ſed diſtinctis, cominus ferro, ſine reſpectu confligunt, hoſtéſque, dum mucronum noxias obſeruant, contortis laciniis illigant, vt laqueatis reſiſtentium mẽbris equitandi vel gradiendi adimant facultatem. Nemo apud eos arat,nec ſtiuam aliquando contingit. Omnes enim ſine ſedibus fixis, abſque lari vel lege aut ritu ſtabili diſpalantur, ſemper fugientium ſimiles, cum carpentis in quibus habitant. Vbi conjuges ex villis veſtimenta contexunt, & coëunt cum maritis & pariunt,& ad vſque pubertatem nutriunt pueros. Nullúſque apud eos interrogatus,reſpondere,vnde oritur, poteſt, alibi conceptus, natúſque procul & longius educatus. Per inducias infidi, inconſtantes, ad omnem auram incedentes, ſpei nouæ per quam mobiles, totum furori incitatiſſimo tribuentes.

buentes. Inconſultorum animalium ritu, quid honeſtum inhoneſtumvè ſit penitus ignorantes. Flexiloqui & obſcuri. Nullius religionis vel ſuperſtitionis reuerentia aliquando diſtricti. Auri cupidine immenſo flagrantes. Adeo permutabiles & iraſci faciles, vt eodem aliquoties die à ſociis nullo irritante ſæpe deſciſcant, itidémque propitientur, nemine leniente. Hoc expeditum indomitúmque hominum genus, externa cupiditate prædandi auiditate flagrans immani, per rapinas finitimorum graſſatum, & cædes, ad vſque Achajam peruenit.] Vid. etiam Iuſtin. *l*. 2. Adeo verum, vt eſt apud Agell. *l*. 13. *c*. 2. itidem eſſe in hominum ingeniis, quod eſt in pomis, quæ dura & acerba naſcuntur, poſt fiunt mitia & iucunda; Sed quæ gignuntur ſtatim vieta & mollia, atque in principuo ſunt viuida, non matura mox fiunt ſed putria. Hac ætate noſtros Hungaros videmus auitæ feritatis iam neſcios,

neſcios, multúmque ciuiles. Laon. Chal. *l.* 2. ait, *Quænam Vngarorum origo ſit dicere non poſſum. Præterea quum ſibi dederint iſtud nomen, ſicque appellentur ab Italis, non decorum fore ratus ſum, ſi aliud ijs impoſuero nomen.* De Etymologia vocabuli Hũgarici Magyar, vid. P.Diac. *in Anaſt. c.* 5. Alij Vngaros nomen inde ſortitos ferunt vel quod aduentus ſui principio ita dicti, (Blond. *Dec.* 2. *l.* 2.) vel quod Angariam nominatã poſt Hunnorum internecionem à Carolo M. & Ludouico eius fratre ipſis *illatam.* Quod autem Zonara Turcos & Hungaros pro vna natione in ſua Hiſtoria vſurpat, non ſatis capio. *In Conſt. L. fil. Turci,* ait (*quos Vngros nominamus*) *alias Romanas prouincias incurſare ſoliti, ad tempus quieti fuerunt.* Idem *in Niceph. Phoc. Turcis autem*, Vngris ſcilicet, *Thraciam vaſtantibus, Nicephorus Phoca Bulgariæ Principi ſcripſit, ne illos Iſtrum tranſire pateretur, & Romanas prouincias infeſtare.* Idem

in

in Conſt. Monomach. Sunt autem Turci gens Hunnica populoſiſſima & libera Caucaſarum montium ſeptentrionale latus accolens. Tantum de Originibus Hungarorum.

CAPVT V.

De Siculis, Scythis Tranſſyluanis, ſeu Szek-helÿs.

SIngularem & ab Hungaris diuerſam Nationem multi authores finxerunt, quam Hungarice vocamus *Szekhely*, Dacice *Zeckeli*; Eodem errore irrepſit vocabulum Siculus; ſed fruſtra: Sunt enim eiuſdem Originis cum cœteris Vngaris. Quoties mihi ab Hiſpanis dictum memini; Quid, malum, Tranſſyluanis cum Sicilia? Nam Siculi apud bonos Authores incolę ſunt Regni Siciliæ, qui hodie Hiſpaniis ſubſunt. Quod autem in Da-

ciæ Comitiis Siculi iſti Tranſſyluani à cæteris Hungaris diſcernuntur, ratio talis ferè eſt: Poſt primam Hunnorum eruptionem, indignante fato pulſis è Pannonia Scythis, quædam ipſorum pars in extremum Tranſſyluaniæ angulum confugêre, quem etiamnum hodie tenent, (Vide Chron. Albert. Moln. in calce Diction. Hung. poſtrem. editi p.m. 336.) & apud Dacos delituerunt, ac nomen ſuum publicare non auſi à ſedibus regionis, id eſt, Diſtrictu, ſe appellari voluerunt, & *Szek-helyi* (Hungarico vocabulo) ſunt nominati, à ſedium videlicet, vel diſtrictûs occupatione. Vnde Siculi dictio eſt orta. Vide Magin. *l. ſæpè c.* Aliquot poſtea elapſis annis, Daci noſtri iam ſuis moribus nec quicquam diuerſos, ſibi ipſos adjungebant. Exinde pari fortuna & caſibus ſunt vſi, ad ſecundam vſque Hunnorum eruptionem, quâ Pannonias recuperatas Hunni habitare cœperunt, quas etiam

etiamnum hodie propugnant. Iſtis etiam Tranſſyluania ceſſit, qui Prouinciam per Præfectos Vayuodas adminiſtrare ſolebant. Vayuodas non pauci Nobilium comitabantur, ac omnes demum regionis amœnitate detenti, ſedem figere in Dacia non dubitauerunt. Auulsâ denique ab Hungaris Prouincia, Tranſyluaniâ, præter Principem, Hungarorum, Szek-helyorum, Dacorum, ſtatuum concilio Tranſſyluaniam adminiſtrari placuit.

CAPVT VI.

De Valachis ſiue Oleahis.

VAlachos à Duce Flacco nominatos quidam aſſeuerant, prȩeunte Æneа Syluio, ac poſt ipſum aliis non paucis adſtipulantibus. Id potiſſimum ex Ouidij Naſonis verſiculis probant. *Epiſt. Pont. lib.* 4.

Præfuit

Præfuit his Græcine locis modo Flaccus, & illo
Ripa ferax Iſtri ſub Duce tuta fuit.
Hic tenuit Mœſas gentes in pace fideli;
Hic arcu fiſos terruit enſe Getas.

Etymon deduci poteſt ab Hungarico *Oláh*, & verticem principalis literæ O, à Notariis & Typographis corruptum cenſeri, atque ſic Vlahorum nomen ortum. Hungaris Valachus *Oláh*, Italus dicitur *Olaſz.* Stephanus Samoſcius *in Mſſ. Or.* Vng. credidit à Græcis Scriptoribus Valachiæ nomen manauiſſe: Nam cum ij in medio aſpiratione careant niſi quam conſonantes φ, χ, & θ, faciunt, inde factum ſit vt Valah, nomen proprium genuinúmque gentis expreſſuri ὀυαλάχυς per χ, in medio ſcriberent, à quibus tandem Latini Valachos acceperint, id videre ſit in aliis quoque, vt μιχαὴλ, ſcribunt Græci, quod Latinis Hebræa origine

origine Mihael, per ſimplex h, pronunciandum fuerat. Id Hungari rectè imitantur vocabulo Mihaly. Alij à Blachis nomen adeptos affirmant, qui tempore Alexij Cõneni à Iohanne ipſorum Duce nouę Romæ Imperatoribus damna haud exigua inferebant. Nic. Chon. *de reb. geſt. Alex.* Comn. *l.*2. Atque hinc vernacula noſtra lingua Dacica ipſos *d'Bloch*, appellamus. Vide append. ad Havth. *Hiſt. Orient. cap.*5. Valachos iſtos etiam non rarò Triballos vocant, Leoncl. *rer. Turc. lib.*1. Sæpe etiam Bulgaros, Zon. *in Conſtant.* Pog.& Capr. Vnde Praſſobij (vt Laon loquitur) ſeu Coronenſes etiamnum hodie ſubvrbia à Valachis habitata vocant, *d'Belgeray*. Alij Valachos quaſi Vulachos (gallica pronũciatione Vallashos) id eſt Italos dici, cum Lazar. Zoranz. *in Ottom. part.*2.*p. m.* 103. exiſtimant. Magin. *in Geogr.* Diuerſa ab his Carionis eſt opinio *Chron.lib.*4. ſub Iſaac.Ang. Is Iſaa-

cius,inſit,in Valachos quos & Blachos nominant Græci Scriptores, nouis defectionibus Imperium detrectantes, aliquoties infeliciter mouit: inſignibus enim cladibus repulſus eſt. Primum autem,quantùm ego memini nominantur Valachi in hac Hiſtoria, quorum nomen quo tempore, aut quando gens ipſa, intra Tyram & Iſtrum, regione conſederit, certo non ſcio. De Origine ergo gentis mihi videtur non eſſe abſimile vero, quod Imperatores Orientis partim poſt ſummotos inde, partim poſt exciſos Gothos, agros illos veteri more diſtribuerint veteranis militibus,&c. vt ſtipendia his exſoluerent, & vt per eos à finibus Imperij ex ea parte arcerent tumultuantes Sarmatas. Inter illos plurimos fuiſſe Romanos, lingua argumento eſt, quæ ex latina eſt deprauata. Ab his Romanis profectum eſſe Valachorum nomen, vicinis in Tranſſyluania Gothis authoribus,qui Italos Germanica

nica conſuetudine Vallios nominarunt, conſentaneum eſt. Nam quod à Flacco quodam eorum Præfecto nomen tractum eſſe nonnulli fingunt, fabuloſum eſt prorſus. Laonic. *lib.2. Valachorum lingua*; ait, *ſimilis Italorum linguæ : adeo tamen corrupta ac differens, vt difficulter Itali queant intelligere, quæ iſtorum verbis pronunciantur.*

Rectè Cario eſt opinatus Valachos fragmina eſſe militiæ Romanæ; Quod autem Græcis Imperatoribus in ſtatuminandis huc Romanis idem tribuit ineruditum eſt: Alexi enim Comneni temporibus cæterorumque Imperatorum Byzantinorum, Romanus miles in Italia detinebatur, opprimebaturque, aut Barbaris, Gothis, Longobardis, parebat, ac Pontificibus. Diſcant igitur omnes nobiſcum ex Dion. *in vit. Trajan.* Daciæ videlicet Imperium tenente Decebalo, Trajanus Romanorum Imperator hiſce regionibus bellum inferens,

duplici expeditione victor euaſit; & quo melius gens (vt Tacitus *l.3. Hiſt.*de noſtris) nunquam fida, faciliúſque ſemel capta in officio contineretur, colonia ſpectabili illuc deductâ eam perdomuit, hoc eſt, Romanos ad Daciam habitandam colendamue miſit. Atque iſtorum Romanorum reliquias eſſe Valachos,& Moldauos certum eſt. Eutrop. *l.8.in V. Adrian.* Idem,ait, de Dacis facere conatum (id eſt, reuocare exercitus) amici deterruerunt, ne multi ciues Romani Barbaris traderentur, propterea quod Trajanus victa Dacia ex toto orbe Romanorum infinitas eò copias hominũ tranſtulerat, ad agros & vrbes colendas. Dacia enim diuturno bello Decebali viris fuerat exhauſta. Hodie viles tantum Valachi noſtri ſerui in Tranſſyluania ſuperſunt, in vicinia autem potentes Vayuodas Lunam adorantes habent. Quia ſcilicet, (Flau.Vop. *in D. Aur.*) quum vaſtatum Illyricum

cum & Mœſiam deperditam videret, Prouinciam trans Danubium Daciam à Trajano conſtitutam, ſublato exercitu Prouincialibus reliquit, deſperans eam poſſe retineri: abductoſque ex ea populos, in Mœſiam collocauit, appellauitque ſuam Daciã, quæ nunc duas Mœſias diuidit. Ex iſtis facile colliges florem coloniæ Daciâ euocatum, remanſiſſe autem ibi fœces & manipulos furum. Iohannes Samoſcius negat Valachos Romanorum cognatos eſſe, Nec enim, ei fidem facit opinio Valachos noſtrates Italarum coloniarum reſiduas reliquias eſſe, ob eam cauſam penes hos, vtpote Italorum gentiles, priſcam illam & gentilitiam Romanorum linguam remanſiſſe. Nam Galienus Imperator, vbi de Dacia retinenda ſpem omnem abjeciſſet, colonias, quas illuc Trajanus deduxerat, trans Danubium in Moëſiam Thraciæ vicinam tranſtuliſſe ſcribitur, Dacia prorſus ceſſiſſe.

Quo factum eſt, ait porro, vt Daci latino ſermone tunc imbuti, Romanorum quidem jugum excuſſerint, linguam vero, quam vſu iam pene ducentorum annorum ſpatio, quo Romani Dacias poſſederunt, vernaculam fecerint, retinuerint, quæ poſtea in has ſtribiligenes degenerauerit, non apud hos tantum, ſed ipſos Gallos, Italos, & Hiſpanos, prorſus, vt hæ Nationes non jam habeant veterem illam indigenam, ſed Romanorum ſuppoſititiam, eámque fœdiſſimè corruptam linguam. Sicut auté Galli & Hiſpani non fuerunt Natione Itali, ita neque Valachi: etiamſi omnes hi Romanæ linguæ ſtipulas adhuc circumferant. Sed ridicula magis eſt Samoiſij conſequentia quàm vera; Affinia illa tria Regna ab iiſdem Barbaris corrupta facile in corruptelis ſuis conueniunt; At quomodo Daci antiquiſſimo idiomate ſuæ linguæ refutato Romanâ linguâ imbuti ſint, non capio.

Illud

Illud certò ſcio; quòd etiamnum hodie noſtri Valachi ſe vocitant *Rumuin*, id eſt Romanos.

Appendicis loco, pauca à me obſeruata de Cyngaris infami progenie, qui per Tranſſyluaniam ſunt frequentiſſimi, addam. Ipſorum Origines & progreſſus videri poſſunt apud. Philip.Camer.*hor.ſubciſ. Cent.*1.*& Cent.*2.*cap.*75.Bodin.*l.*5. *de repub.* Majol. *in dieb.Canic.* Ann. Bojor.Auentin. & alibi, quæ locæ tranſſcribere piget. Daci Tranſſyluani ipſos vocamus, *d'Faroner*, id eſt Pharaones. Apud nos Chriſtianos ſe eſſe jactitant, ſequuntúrque Græcorum ferè religionem; Adeo tamen in doctrina de Deo rudes, vt examinati ſuis reſponſionibus fiant impij. Eſt in Hiſtoria: Quidam Cyngarus filium ſibi natum miſit ad noſtras ſcholas; Is ſingulari indulto receptus in literis profecit nonnihil; Accidit autem vt iſte improuiſa morte ſuorum populariorum ſpem falleret & parentibus

ſuis multi luctus cauſam relinqueret. Zingari mox Magiſtratus & Sacerdotes adeunt ſupplicatum, Quoniam ſtudioſus iſte artium liberalium fato ſuo functus eſſet cõſueto noſtro ritu ſolemnitatéque communi contumulandum petierunt: Poſtquam autem Zingari propoſuiſſent ſua poſtulata, interrogati à Sacerdotibus, An crederẽt ſuum Popularem reſurrecturum die nouiſſimo? Quid malum, reſponderunt, expoſtulatis? cadauer exſangue denuò reſurgeret? reſurget noſtra opinione, quando equus nuperrime à nobis excoriatus reſurrecturus eſt. Cyngari religioſos habent nullos. Infantes in caupona ſacris ſuis initiant, quem actum nefariè Baptiſmum vocant. Sæpe vxores ducunt vix pubertatẽ egreſſi, quas iterum leui de cauſa repudiant. Adeo fœcundi ſunt, vt non ſine riſu aſpicias feliciſſimas matres liberis ſeptas, veluti ſtipatas gallinas pullis. Quum autem turpiſſimæ

piſſimæ ſint eorum fœminæ & omnis ſexus naturali nigredine horribilis valde auerſantur contemnunturque à populis Tranſſyluaniæ, nullo prorſus conſortio vel familiaritate ipſos dignantes. Incedunt viliſſimo habitu; juuenes ſeminudi, pueri & minorennes plerumque ſequuntur parentes, eo ſolùm veſtimento quem ab ipſis, & à natura acceperunt. Miſerè victitant multi ſub tentoriis perpetuò, multi ſe ciuitatibus & pagis applicant. Vidimus curioſi tres familias circulo quindecim paſſuū ſe ſuáſque poſſeſſiones (numeramus etiam Porcos qui ſub eodem tecto degebant) & quicquid viginti annis ingrato labore meruerant, comprehenſ[illegible]s eſſe, atque in eo Palatio in multas generationes ſe explicauiſſe. Fabrili arte ferè victitant, præter commoda quæ capiunt è miris fallendi artificiis. Iracundi ſunt ad ſtuporem, verſuti, agiles, ſuperbi, garruli, ebrioſi, fures, mendaces, præ-

cipites, diſcordes ac in jurgiis inſani. Habent in veneratione antiquas familias, quas ipſi vocant Vayuodales. Exinde eligunt Duces, quos ingenti vociferatione correptos tribus vicibus efferunt exaltántque, qua inauguratione commonefiunt meminiſſe ſe Præfectos. Simili ritu Duciſſas ſuas creant. Penes ridiculos iſtos Vayuodas poteſtatis in ſuos parum eſt. Quidam ipſorum cuſtodit priuilegia olim à Bathoriis Principibus ipſis collata. His cautum eſſe ajunt graui pœnæ eos ſubeſſe, qui innocentes iniuria afficiunt. Certè conſuetudine noſtra receptum eſt, quo idem iuſtitiæ forum, actionúmve ciuilium proceſſus nobiſcum agnoſcant. Habent etiam viles familias & abominabiles, ab ipſiſmet Zingaris contemptas; Vnde per vniuerſam Tranſſyluaniam Carnifices fiunt, horrendi, crudeles, tetri, & impij. Iſti Zingari Carnifices incredibilem ac per vlteriorem orbem Chriſtianum

inſuetum,

inſuetum, torturæ modum introduxerunt. Criminaliter conuictos vel per ſemiplenas probationes ſuſpectos malefactores tradunt in manus iſtorũ; Qui ignes conſtruunt prompti, folles admouent eiſque læti auras recipiunt reddúntque cætera inſtrumenta etiam exponũt, forcipes nimirum, virgas ferreas & laminas, facem pice impexam &c. Poſtea ſternunt inermem diutino carcere maceratum, pauore futuræ tragœdiæ attonitum, ac totis ſenſibus vagum, malefactorem, eumque ita terræ affigunt explicántque vt omnes artus eluxent; mox ſtillicidio igneo hominem irrigant flammis vbique reſinæ pertinaciter inhærentibus; deinde forcipe candenti muſculos paſſim comprehendunt; etiam virgas ferreas admouent per ignem rutilantes, fumante vndique & cruciatus vix ſuſtinente patiente. Propterea merito apud nos infames ſunt Zingari, quos obuij nec ſalutamus nec aliud ho-

noris genus eis exhibemus;Nomen ipſorum odioſum in honeſtos per iram effuſum, infamat.

CAPVT VII.

De lingua & Literis Dacorum, ſeu Saxonum in Tranſſyluania.

VT beſtias corporum habitudo diſtinguit, aues pennæ deſignant, provt natura tinctæ vel garrulæ nomina ſibi aſſumpsêre; Ita Deus hominem ab homine ſuis diſperſit linguis, & eandem agnoſcentes quodammodo cognatos eſſe voluit. Obſcurum autem eſt, & multa difficultate inuolutum, an deuexo æuo, quâ vtimur, lingua, noſtrûm ſit anteceſſorum, num neſcij priſcæ, hodie peregrinis intertextam, & antiquis ferè ignotam introduxerimus; aut veterum nomencla

menclatura quando corrupta eſt irrepſitque alia. Etiam de Scripturis & literis gentium diſſerere, originem indagare,& quando & quãdiu receptas ſcire, vt operoſum iucundum eſt. De Tranſſyluanis ego breuiter referam quod opinor, haud ægrè laturus quod doctiores adijcient aut feliciori genio aſſequentur. Antiqui Hiſtorici Dacorum linguam nulla parte attigerũt, vel quod eam neſciebant aut negligebant, vel quod illam poſteritati tradere cohibebat inuidia: Nemo enim ignorat quantis conatibus per totum orbem Latinam Græcamve linguas, ſuppreſſis aliis, veteres introduxerint; Neque in obſcuro eſt quam neglectæ fuerint Barbarorum (qui illis temporibus illiterati erant) linguæ, tanquam mentis erigendæ inutiles, & propter commercia mutua raræ. Quæ namque commercia noſtrûm majorum? Cædes & latrocinia. Qui diuinarum humanarumve rerum

Doctores? Mars & Pharetra. Latuit igitur diu Dacorum lingua; tametſi multus jam audiam, nullus tamen videam, Gothica Mſſ. quas paſſim per Europam, quam integro ferè decennio perluſtro, aſſeruari quidam aſſerunt. Gothi, Majores noſtri, negarunt literas diſcendas eſſe ijs, qui inter enſes & haſtas verſari aliquando deberent. Macrob. *l.* 1. *de bell. Goth.* Iidem Gothi magnum librorum numerum, cum jam jam ignem ſubjecturi eſſent, intactum reliquerunt; quod illis ſtudiis hoſtes ſuos imbelles factos crederent. Vnde mirum non eſt, ad inſtar noſtrûm Moſchduitarum, ſi Gothica lingua ſcripturáque parum nota fuerit. Præterea ſine mixtione & intemerata lingua (vt Lipſ. *Epiſt. Cent.* 3. *ad Belg. ep.* 44.) ſeruari non potuit, & mentem qui per volumina temporum, per vaſta hæc terrarum mittet, inueniet à prima illa confuſione linguarum, ſacris libris expreſſa, infinitum eaſdem mutaſſe,

variaſſe,

variaſſe,multiplicaſſe,vt gentes hominum confuſæ mixtæque inter ſe fuerunt, & iterum propagatæ. Dacorum lingua inſuper non latinis, neque Græcis literis exprimi ſe paſſà, propriis etiam characteribus antiquitus, vti oſtenſum eſt, deſtituta, vix potuit ab Hiſtoricis deſcribi.Vnde Dacicum Idioma & hodiernûm Saxonum in Tranſſyluania linguam nemo mortalium ad hunc vſque diem ſcripſit,ſicuti neque Gallicæ linguæ pronunciationem; ſed cum cæteris Europæis in latinas cogimur anguſtias. Recentiores Germanico-Saxonica Dacos in Tranſſyluania loqui, memoria produnt, id etiam hodie creditur. Verùm obſeruaui id non ſatis verum eſſe. Quia antequam Saxones Germani innoteſcerent, Daciæ Populos aliqua lingua vſos certum eſt; & multis ſeculis nos Daci Germanos antiquitate (antiquitatem dico maturiorem populorum innoteſcentiam) ſuperamus; Quomodo

modo igitur ab ipſis mutuatam probabimus linguam ? Quis etiam auderet aſſerere Dacos ſemel receptam linguam cum alia ipſis incognita permutaſſe. Veriſimilius eſt poſteriores à prioribus congruentiam linguarũ hauſiſſe, adeóque Saxones & Germanos à Dacis, non contra Dacos à Germanis ; quoniam negare non poſſumus has linguas inter ſe cognatas eſſe. Suffragatur etiam nobis Iuſtus Lipſius *Ep.Cent.*3.*ad Belgas.Ep.*44.ex Roderico Toletano. *Teutonia*, ait, *Dacia, Norvegia, Suetia, Flandria & Anglia, vnicam habent linguam, licet idiomatibus dignoſcantur.* Idem refert fœdus Caroli Magni & Ludouici Pij, fratrum, quod circa annum Chriſtianum octingenteſimum pacti eſſent: Carolus Teudiſca lingua eadẽ verba, quę Ludouicus Gallicè dixerat, teſtatus eſt: *In godes minna induites Xpãnes folches ind vnſer behder gealdniſi von teſeme tage framordeſſo Fram ſo mir got geuuiz ei indi madh*

madh ſurgebit ſo bald ihtis an minam bruher ſcal inthi vtha Zermig ſoſo madno induit laherem in nothe, in mit hing nege gango the minam vvillon imo ſe ſcaden vvehren. Mihi ſanè videtur ſcriptura iſta Daciæ ſimplicitati longe conuenientior, quam arguto huius ſeculi Germaniſmo; Et antequam ſcriberetur (Taciti æuo illiterati erant omnes Germani; apud ipſos etiam Romanos nullæ omnino fuêre literæ ad finem vſque belli Punici ſecundi, id eſt, anno vrbis cond. 540.) non abſimili dialecto Tranſſyluanos ſeu Dacos locutos, & poſt hos etiam Germanos, opinor. Quia nimirum Germanica demum tempore Caroli Magni, id eſt, anno Chriſtiano octingenteſimo, ſcribi cœpta; ita latinis characteribus, quibus in vniuerſum Europæi vtimur, pronunciatio illa vetus venire non potuit; verùm in præſentem ſcribendi commoditatem detorta, adeo Germanis placuit, vt, & loquelam omnem ad ſcriptio

ſcriptionem dirigerent, & antiquã linguã veluti barbaram reijcerent, auerſarentúrque. Id quod ipſis etiamnum hodie hæret. Daci autem tardè à Germanis literas didicerunt, quum antea bellicæ fortitudini officere crederentur. Hinc jam Daci in Tranſlyluania Germanicè ſcribimus, mire noſtram inde dialectum elicientes; Germanicam interim linguam malè intelligimus, intelligi etiam ab ipſis vix poſſumus, propter corruptelam Hungaricam. Notaui in iſta Saxonica Tranſſyluana vocabula Gallica, Italica, Hiſpanica, Anglica, (quale eſt vocabulum *Viueln*) Turcica, & Tartarica, quale eſt dictio *Han*, quæ etiam Germanos fugit: Nam *Han* ſiue *Chan* & *Cham* vox eſt Tartarica, & ſignificat Dominum. Hayth. Arm. *in Hiſt. Orien. pag. m.* 16. Vide etiam Append. Hayth.*cap.6.* Tranſlata eſt ad Præfectos annonæ primò militibus duntaxat erogandæ. Et nomen &
rem

rem multi in Tranſſyluania retinuerunt; gratis apud Præfectum illum diuerſi epulantur, quoquo ipſis inter miſeros Dacos iter. Quæ liberalitas? Cætera vide *Tom. XL. lacrymar. Saxonic. pag.* 1500. Notetur: In ſinu Dei centum voluminibus comprehenſæ ſunt calamitates bis miſerùm meorum Populariùm. Inuenio etiam apud Vinc. Belrac. *Spec. Hiſt. l.* 32. *cap.* 28. ſimile, & forſan iſtorum abuſuum originem; Is, quum anno, inquit, Chriſtiano 1245. Turci & Tartari fœdus inter ſe pangerent, mira illis contigit inæqualitas: præter quam enim quod Turci Tartaris reſtitere tributarij, cautum eſt, vt per totam Turquiam prouideretur nunciis Tartaricis omnino in equituris, in muneribus, in victualibus, eundo morando ac redeundo. Probabile eſt cæteris ſubactis Prouinciis idem imperitaſſe hos Tartaros, adeóque etiam Tranſſyluanis, de quibus anno 1242. & vniuerſa pene

pene Hungaria triumphos agebant, in ſymbolum ſeruitutis injunxiſſe vt curſores exciperent hoſpitio, conuiuio, liberalitate, equorum ſubminiſtratione, & nullis non gratuitis humanitatū officiis. *Han* apud Tartaros etiam Iudicem ſignificat; Thuan. *Hiſt. lib.67. Sunt & in oppidis,* inquit, *Tartaricis Hanoioti vulgo appellati, qui jus inter Nobiles Murſos vulgo vocatos dicunt.* Certè in Tranſſyluania per Dacos ſeu Saxones in pagis Oppidiſque Hani iſti ſupremi judices ſunt; Vnde multùm in mea opinione confirmatus ſum.

CAPVT VIII.

De lingua & literis Hungarorum.

LIngua Hungarica ab omnium finitimis nimium diuerſa eſt, Bonfin. *rer. Hung. Dec.1. lib.1.* & Scythica.

Scythica. Rectè etiã ſcribſit Laon. de reb.Turc. *lib.*2. Vngaros videlicet, lingua vti peculiari, quæ nihil commercij cum Germanorum Polonorum aliiſque linguis, habere deprehenditur. Expertus eadẽ confirmo; in conſeſſu Anglorum, Italorum, Polonorum, Hiſpanorum, Germanorum & Gallorum, miſcente me ſermonem cum noſtris, obſtupuêre tot linguarum periti ob miram eius ſingularitatem. Animaduerti tamen in ea Italicas voculas, vt: *Golyos* Hung. Strumoſus; Italis ſtruma dicitur Golya. Ligo, Ital. *la Zappa*, Hung. *edgy Kappa.* Hiſpanicas etiam notaui, vt *Quierer*, Hiſpanis eſt velle, cui reſpondet Hungaricum illud *Kérem* petendi ſignificatiuum. Hebraïcum *Derec.* id eſt, via trita, Hungar. *deregh*, vt. Sunt præterea Sarmatica non pauca etiam Latina, quibus nunc non immoramur. Turcicæ autem linguæ, quoad primitiua & nomenclaturam vicinior, vt *in Sanſon.*

ſeu.Hiſtor. paſſim obſeruaui. Compendioſiſſima & elegantiſſima Hũgarorum lingua eſt, & altiſſimos conceptus habet, altiores exoticos in ſuam transferre apta. Eam Latinis ſcribunt literis, vtuntúrque, præter Romanam conſuetudinem frequentibus, K, & Y, Antequam Chriſtianis caſtris accederêt, ſcripſiſſe ipſos nullibi legimus. Hungaris Alberti Molnari memoria immortalis eſto & ſancta, qui & politioris linguæ publicus Author, & Sacri Codicis primus traductor erat. Hodie nobiliſſima lingua adeo temptatur, vt præter aliquot cantiunculas & ſacris opitulantes cõmentariolos poſteritas à ſuis nihil ſit habitura. Saltem noſtri temporis Tragœdias conſcriberent, erit, ſi non eſt, cœlo qui memoriam & Gratiis, mittet.

De Szek-heliis nihil addam, quam illud Magini, *in Geogr. ſub Tranſ.* vbi aſſerit in Bibliotheca Florentina ſupereſſe librum Scy-

thicis

thicis lituris conſcriptum. Ego vero Florentiis in conclaui Publicæ Bibliothecæ Magni Ducis Hetruriæ ſollicitè omnes libros verſitaui meo tamen deſiderio fruſtratus diſceſſi.

CAPVT IX.

De lingua Valachorum & L.teris.

VT Valachos Italiâ oriundos ſúpra probauimus, ita nunc eandem gloriam ipſis relinquimus: Eſt enim ſua lingua veterum Romanorum, corrupta tamen nonnihil Sarmatico-Ruſſica, Dacica, & Dalmatico-Craatica. Couacciocius quoque *in Dial. de Adminiſtr. Regni Tra ſſylu.* obſeruauit, vernaculum iſtorum ſermonem, plus ferè in ſe habere Romani & Latini ſermonis, quam præſens Italorum

lingua. Exiſtimo, antequam Dante, Boccatius & Petrarcha ex Barbariſmis Longobardorum, Gallorúmve, & familiaris Latini ſermonis reliquiis, nouam hanc Italorum elegantem & pene Diuinam, compoſuiſſent, Valachicam Italicę linguæ, per omnia ſimilem fuiſſe. Diu me offendit, quòd Gallicæ corruptelæ Valachi parum habent, & eius loco merè Latinis vtuntur: Longobardorum autem voces obſeruant; quum ante iſtorum irruptionem in Italiam, trecentis amplius annis in Daciam commigrauerint. Id autem non poſſum ſatis mirari, quando & quomodo refutatis auitis Latinis, Ruſſicas literas didicerunt; Quæ vlterioribus Europæis parum nota eſt, habétque literarum figuras diuerſas & ſingulares, licèt Græci non raró ipſos peculatus poſtulent; Poteſtatem vt plurimum debet Orientalibus, quã tamen ita diſſimulat, vt ſuum authorem cognoſcere non velit. Cyrilica,

rilica, Boſnenſis, Sarmatica antiqua, Moſchouitarum & Valachorum literæ ſunt communes. Quas Adamus Bohoriz Vittebergæ Anno octogeſimo quarto ſupra milleſimum & quingenteſimum complexus, publico prœlo exhibuit. Quia artifices effingendi typi deſunt, nomina ſaltem & poteſtates iſtarum literarum ſubjeci. Eas, à Gabriele Nûne viro egregio, qui Conſtantinum Vayuodam Anno 1658. in ſuo exilio pro ſcriba comitabatur, didici eſſe vndequadraginta:

As	A
Boga, ſiue *butch*,	B
Vedil, ſiue *Viede*,	V
Glàguele ſiue *glagole*,	G
Dobro	D
Ieſtu	E
Siuite, ſeu *ſzunete*	Sh
Selo, aliàs *Zalo*	Z
Zime	Dz
Iſchu, ſiue *ishe*	Y

I, ſiue *Iota*	I
Kako	K
Ludi	L
Miſlite	M
Naſch, ſeu *naſli*	N
Xi	X
On	O
Pokoi	P
Rezi	R
Slouo	S
Turdu	T
Vk	Vgh.
V	V
Turta ſeu *Tert.*	Th.
Phita	φ
Phier, ſiue *hir*	ch Gr. χ.
Ier	E. long & finale.
Ire	E. breue.
Ot	Gr.
O	oh.
Tſi	tſi.
Tſero	tſch.
Shza, ſeu *ſcha.*	dſcha.
Schtin.	ſchth.
Icte	cht.

Ie

Ie nihil ſignificat, & in fine tantum additur.

Ia

Xuſſa

Puſſa

Dſche

V u. Gallic.

CAPVT X.

Daci, ſeu Saxones in Tranſſyluania antiquiſſimi.

INtereſt ſcire, vbi miſtæ gentes terram colunt vnam, quænam prior ſedem occupauit, aut majorum ſuorum virtutibus comparatam accepit; quæ item violenter vel precariò, ſe illis ingeſſit: Aliquid enim juris ipſa antiquitate ſibi vendicat prouectior, ſicuti poſterior ſedis alienæ conſcientia hoſpiti paret humano. Vi quoque ſummotis vel oppreſſis, vt fortuna

deeſt,ita ſuperſtes numinum, ipſos vlciſcendi cauſa. Quis adeo conductæ felicitatis eſt, vt quæ fecit, pati non poſſit? Ioannes Magnus *in ſuorum Populariorum Hiſtoria*, Gothos in Scandia Inſula, ſiue, Scandinauia, ſtatim poſt diluuium extitiſſe ſcribit. Amm.Marcel.*l.* 27. & conſenſus omnium Chronographorum, Dacos in Tranſſyluania Hunnis eſſe antiquiores: Quia ante annos vltimi temporis trecentos, & Septuaginta nullus neque in Dacia neque in Pannonia Hunnus. Daci verò ante Chriſtum natum quadringentis amplius annis, terras iſtas teuuêre. Philippus quoque Macedo (teſte Iornande) Pater Alexandri M. cum Gothis amicitiam copulans, Medopam Gothilæ filiam Regis accepit vxorem, vt tali affinitate roboratus, Macedonum Regna firmaret. Subijcit Iornand. *Daciam dico antiquam, quam nunc Gepidarum Populi poſſidere noſcuntur; Quæ Patria in conſpectu*

Moëſiæ

Moëſia ſita trans Danubium, corona montium cingitur, duos tantum habens acceſſus. P.Diac. *in Grat. Valent. II. & Theodor. Sext.* Aur. Vict. *in eod. Quum*, inquiunt, *Imperator aduertiſſet, Thraciam Daciámque tanquam genitales terras poſsidentibus Gothis, extremum omni R. Imperio periculum inſtare* &c. Quid clarius? Quid apertius? quam Daciam natale ſolũ eſſe Gothis. Dacos in hac mundi plaga alias gentes præceſſiſſe nuſquam proditum eſt. Idem ex Columna Trajana manifeſtum fit, quã Romæ maxima vidimus admiratione. Ea, quum certa præclaráque de nobis referat, obitèr hic ſtringenda venit. Poſt Domitianam cladem Decebalus Rex Daciæ ſeu Tranſſyluaniæ Romanis formidoloſus, pacem ſibi multo auro ab Imperatore contribuendo pactus eſt. Vinci tamen ab exercitu R. potuiſſet, niſi commentitio ſuo triumpho Domitianus, futuras expeditiones ſuſtuliſſet.

Accipiebant ab Orbis Domino, tributum Daci viginti ferè annis. Trajanus autem rerum potitus, tanto Imperio & Imperatori indignum ratus, alienæ ignauiæ ſuam deſeruire virtutem, & redempta demum pace Romanos frui. Idcirco Patrum Conſilio, Dacis bellum, pro pecunia nunciat, infert, & victor domat ipſos. Quo feliciter perfecto in laudem Trajani S.P.Q.R. Columnam marmoream immenſæ ſtructuræ, (eſt alta 128. pedum; gradus in cochlide habet 184. feneſtellas 43. ampla provt ſtupendæ molis proportio requirit) erigendam decreuit, cuius in ſuperficiem ſculptores omnem bellorum Dacicorum Hiſtoriam exprimerent; id quod etiam miro artificio præſtitêre. Columnam iſtam primo membranis celeberrimi Romæ Pictores, deinde ſculptores ſumptibus Philippi II. Hiſpaniarum Regis ac opera F. Alphonſi Ciaconi typographiæ beneficio, centum & vndetriginta

de triginta tabulis, nobis exhibuêre. Sed præſenti rei reddendus ſermo: Patet, inquam, Daciæ antiquitatis prærogatiua ex Ciac. *Col. Tr. interpr. n.* 1. *& præmiſſ.* §.§.*n.* 243. Ex Dione Nic. *in Vit. Trajan. & Domit.* Exordium ſecundi demum ſeculi Chriſtiani, Daciæ ſeruitutis initium fuit; Quæ interualla hinc ad Hunnorum vſque eruptionem, qua Pannonias, & ipſam Daciam occupauerunt. Vid. Marcell. *l.* 27. *c.* 4. *de Iudicibus Gothorum.*

CAPVT XI.

De raſura, ſeu tonſura Tranſſyluanorum.

FOrmam commendamus cultu, veluti vitia corporum tegumentis; vt quiſque Populus ſeſe ſuis moribus adaptat, ita exornari vult, tametſi maximè deturpet. Vnde paſ-

ſim per Orbem, mira gentium diuerſitas in comarum & barbarum alendi vſu, ac deſuetudine ; Ea hodie Orientales à præcipuis Europæis Occidentalibus diſtinguit ; dum illi raſis capitibus & promiſſis barbis ; iſti vero hirſuti, barbæ tamen indignantes, incedunt. Antiquius autem eſt vel natura perdocente nutrire capillos, quam diuellere, ac injuriis cœli & deformitati patere. Hoc etiam à Græcis probatum ſcio, qui ſeruilem rati tonſuram, eam mancipiis propriam fecêre: quoniam (vt Plut. *in V. Lycurg.* & Cœlius Rhodig.) pulchros coma decentiores redderet, deformes vero terribiliores, ac magis formidabiles. Etiam jubati Leones, vt Homerus ait, inſuper & Tigrides terribiliores viſuntur cæteris animalibus, eo exuto ornamento. Arbitratus eſt Ariſtoteles 1. *Rhet.* id videri libertatis argumentum: nec enim comatum facile ſeruile opus ſubire, aut illiberalem ar-
tem

tem admittere. Vnde etiam Colerus alicubi:

Hicne Achilles eſt? mihi inquiunt.
Imò eius frater, innuit illarum altera:
Ergo Mecaſtor pulcer eſt, inquit mihi,
Et liberalis. Vide, cæſaries quam decet.

Inuenitur nihilominus contrarius etiam Græcorum mos; Plutarch. *in vit. Theſ. Tempore*, inquit, *Originis Athenienſium conſuetudo irrepſit, vt pueritiam exeuntes, Delphos profecti crinem Deo conſecrarent. Accedens illuc Theſeus ſinciput tantum totondit;* Quod de Abantibus Homerus ſcribit, qui primi hac tonſura vſi perhibentur, non ab Arabibus ita docti neque imitatione Myſorum, (quos Hungari imitantur:) ſed ne apprehendere ipſos crinibus hoſtes poſſent: quod ſcilicet etiam Alexander Macedo ſenſit, qui, vt raderentur, Ducibus præcepit: quod promptiſſimè in conflictibus

aliquis iis poſſet prehendi. Romanis placuit abradi & cucurbitis inſtar, caluitiem mentiri; Apud ipſos ſtudium alendæ comæ ſeruorum pœna erat, vti noſtri Turci retinuerunt; licet Græcorum aſſeclæ & imitatrices Romæ non defuerint, ſæpius à Magno vitæ Magiſtro Seneca reprehenſi. Idem teſtantur Statuæ, Poetæ & SS. CC. Hinc ſeruus ille libertatis appetentiſſimus apud Comicum, in Amph.

—— faciat Iuppiter!
Vt ego hodie raſo capite caluus capiam pileum.

Prætexebant autem munditiem & cranij duritiem: fluentem enim jubam, neque ſudoribus, nec frequentiſſimis lauacris, neque exercitiis conuenire aiebant. Sic legimus ab A. Seneca *Ep.*5. Lucilium dehortatum, non ſe hominum conſuetudine excerperet, aut ſquallido cultu emendandos homines auerteret, intonſum denique caput & negligentiorem barbam deuitaret.

Cranium

Cranium etiam mirè obfirmatur aura ſubinde noua, quam denſi crines excluderent; Non ſine ſtupore obſeruamus, Tranſyluanos hybernis temporibus bene tonſos, aliquot horis nudi caput perdurare, ambiente intenſiſſimo frigore, & lacrymas exprimente; imo lugentes Valachi, pileos vel inter niues repudiant; neque tamen vllus hinc illis morbus aut malum.

Veteres Daci, vt ex typis Columnæ Trajanæ manifeſtum fit, barbis prolixis, & comâ leuiter nouaculâ, vel forcipe collo adaptatâ, incedebant. Idem in Statua Decebali, quæ etiamnum hodie proſtat Albæ Iuliæ, videretur, niſi capite auulſo mancam illam mihi mea commonſtraſſet ætas. Adeo incuria Patrum, noſtráque in reſtaurandis antiquitatibus, eiſque indagandis ceſpitat, vt ſponte nobis noſtri memoriam ſurripientes, vixiſſe aliquando ſciri non velimus. Irrumpentibus poſtmodum in Pã-

noniam Hunnis, Daci & capillos & barbas poſuêre. Attilæ tamen ſtatua intonſa viſitur. Refert P. Diac. *in Iuſtin.* Auares gentem Pãnoniæ ſecundæ comatos, Conſtantinopoli viſos. *Anno*, inquiens, *vigeſimo primo Imperij Iuſtiniani ingreſſa eſt gens Bizantium incpinata, eorum qui dicuntur Auares, & tota Ciuitas cucurrit ad viſionem eorum, tanquam qui nunquam viderint ciuſmcdi gentem: habebant enim retrorſum comas prolixas valde, atque perplexas iunctas prandeis: reliquus vero veſtitus eorum ſimilis erat cæterorum Hunnorum.* Seculo noſtri temporis decimo quarto Hungari, & Tranſſyluani à vicinis cæſarie diſtinguebantur. Laon. Calc. *lib.* 7. *Poſtero die*, ſunt verba, *conſertis manibus multitudine hoſtium obruti, decem & ſeptem millia Pannonum cæſi ſunt; Turcarum quatuor millia; nam facilè numerari & dignoſci poterant ab inuicem, cum Turci omnes ſint circumciſi; Præterea Pannones admodum decen-*

ter

ter capillos nutriunt : Turci vero raduntur , relictis circa tempora capillis. Poſtquam verò Vladiſlaus Sarmata Hungariæ Regno potiretur , raſio capitum, excepto vertice, introducta creditur. Atque hinc Tranſyluani & Hungari tondi volumus, retentis barbis promiſſis ; quas præſcindere rarum eſt viris prouectioribus, ac coniugatis ; ſicuti cælibes myſtace florentia labra , geſtant , mento nouacula planato ; nî publica officia ipſos grandæuis adijciant. Peruetuſtam eſſe hanc conſuetutinem diſcimus ex Niceph. Chron. Turcis etiam multis jam ſeculis vſitatam , ex Leoncl. *in V. Vrchangaſi.* Imò ſacramenti vim habet , ſi barba prehenſa aliquid Turca vult promiſſum. Præterea miror,quod Tranſyluani duplicem tondendi modum à Romanis acceptum retinent ; dum aut preſſius ad cutem, vel paulò longius à cute, interpoſito pectine tondent. *Schieren* illum , hunc vero *Koluen* , Daci vocamus.

vocamus. Id elegantiſſimè Plautus expreſſit *in Capt. Act. 2. Sc. 2. v. 18.*

Nunc ſenex eſt in tonſtrina, nunc jam cultros attinet
Ne id quidem inuolucre inijcere voluit veſtem, vt ne inquinet
Sed vtrum ſtrictimne attonſurum dicam eſſe, an per pectinem
Neſcio.

Per pectinem Turci nolunt tondi; capitis prætexentes munditiem, ſemper ſtrictim raduntur. Quia, vt Sanſouinus *lib. 2. Hiſt. Turc.* refert, ita ipſis præcepit Mahomethus; quum ſcilicet inſtarent ſui, Chriſtianos propter vinum quo vterentur eſſe ipſis longe fortiores, reſpondiſſe fertur, tritico bene cocto, ſi corpora alere, & raſo capite velint incedere, ſimiles vel tolerantiores Chriſtianis euaſuros: Omnes enim vires in capillos aſcendere. Neque adeo rudè ſuperſtitionum alioquin abſurdus Author.

Solis inter Dacos Clericis Saxonicis vſitatum alere comam; ſtudioſi

ſtudioſi etiam bonarum artium vtinam libros voluerent, dum fracta defluentéque per annulos Cæſarie gratum ſibi aſpectum conciliantes amatum eunt. Quia nimirum ſacris præſunt aut præfuturi, ideo ſolemne capillum ad longitudinem vſque nutrire? Profeſſio id quidem non fert; licet non ignorauerim, Leu. 21. 19. ſacerdotibus prohibitum fuiſſe capita radere; erat enim ad certos caſus illius æui reſtrictum. Nihilominus antiquis temporibus hic mos erat fanaticorum, vt capillum funderent. Scal. Turneb. *lib.* 11. *cap.* 10. Religionis cauſa diuinaculi capillum promittebant. Nonn. ad Virg. In Columna quoque Trajana Pueri, ſacris operantes, comati pinguntur. Antequam à Catholicis Romaniſtis diſtingueremur, Eccleſiaſtici in Trãſyluania, tantùm abeſt vt comati inſeruierint ſacris, quin tonſura beneficiorum janua & omnium ordinum ſacrorum certa initiatio, habita

habita eſt;idque in ſymbolum ejurationis rerum ſecularium. Sacer etiam Codex præcipit poſitis capillis ipſos miniſtrare debere templis & aris. *Ezech.* 44. Imo viris in vniuerſum videtur interdictum. 1. *Cor.* 11. Hinc Ius Canon. ſeuerè animaduertit in rituum iſtorum contemptores. Decret. Greg. *l.*3. *tom.*1.*cap.*4.*&* 5.*de vit. & hon.Cler. ex Concil. Carthagin.*4.*c.*44. *Si quis,* ſunt verba, *ex clericis comam relaxauerit, anathema ſit.* Ibid. *cap.*5. *ex Concil. Triburien. Clericus neque comam nutriat neque barbam.* Item *c.*7. *Clerici qui comam nutriunt & barbam, etiam inuiti à ſuis Archidiaconis & Superioribus tondeantur. Ex Concilio Lateranenſi.*

CAPVT XII.

De re veſtiaria & amictu Dacorum ſeu Saxonum in Tranſyluania.

VEteres viri Daci veſtiebantur fuſis tunicis manicatis, & per laxitatem rugoſis, non tamen infra genua prolixis ; cincturâ ad vmbilicum ducta, quæ ſubſtricta in plicas colligebat veſtimentum ventris ineptum. Romæ atque in omni Latio viris hic habitus erat indecorus. Agell. *l.*7.*cap.*12. & Cic.*Orat.* 20. Catilinæ, eiuſque aſſeclis objjcit tunicam manuleatam , vtpote Romanis ciuibus indignam. Tunicis Daci ſuperjecêre pallium militare per dorſa & ſiniſtrum latus ad poplites vſque dependulum, fibulâ clauiculæ dextræ ſuſpenſum , quo liberius tutrice dextra munia ſua obirent; Tab. 1.

obirent; ſubligaculis item lumborum ad talos demiſſis, femori & ſuræ decenter adaptatis vſos, ex Columna Trajana, vnde hunc typum deprompſimus, fit manifeſtum. Soleati calcei pedem tegebant ad extrema tibiæ. Capitis tegmen peranguſtum geſtabant, longiuſculum tamen, quo etiam aures cooperiri potuiſſent. Nũ autẽ imam tunicã, quâ noſtra ſecula (camiſio) vtuntur habuerint obſcurum eſt; ipſam neque in ſtatua Decebali, neque in dictæ Columnæ Trajanæ typis obſeruare potui ob laxum veſtimenti genus ſuprapictum.

Tab. 2. *Dacarum fœminarum habitus olim* (Alph. Ciac. *in expl. Col. Trajanæ, vtr. bell. Dacici.num.* 165. *f.* 26.) *tunica fuit manicata, ſinuoſa, ſuccincta, & vſque ad talos demiſſa, ſuper quam lacernas induebant Romanorum togis parum abſimiles; velamen autem capitis lineum tegmen fuit vitta alligatum, & verſus humeros vel dorſum pendens. Ornamentum profectò quod gratiam,*

remus, cum pueris virgis variandi. Præcinguntur Dacæ poſt zonam, ventrali linteo, quod ab vmbilico demittitur ad pedes vſque; linteo dixi? dixiſſem verius rallo: nam limpidis oculis ſæpè femora conſpici poſſent. Ventrale hoc boni authores vocant ſemicinctium. Iſid. *Orig. l.* 19. *cap.* 33. *Cinctus*, ait, *eſt lata Zona; minùs lata ſemicinctium*, Vide Turneb. Aduerſ. *lib.* 14. *cap.* 5. Petronius *in Sat. ſuo ſibi ſemicinctio necem meditatus eſt.* Manifeſtum etiam fit ex *Act. Apoſt. c.* 19. *v.* 12. vbi ſemicinctia Pauli, ægrotis impoſita perhibentur. Mechanici quoque ſemicinctiis vtuntur, vt Fabriferrarij, doliarij, ſutores, & qui ſimilium ſunt operarum. Hos Plautus *in Aulul. Act.* 3. *ſc.* 6. *v.* 42. eleganter Semi-zonarios appellat. Dacicè *n'Shürtz*. Amiciuntur etiam fœminæ Dacæ amiculis ſtriatis & rugoſis ex panno nigro vel ſubtiliori materia, vel ex ouillis aut leporinis pellibus, conſarcinatis,

Tab. 3. Prima eſt linea, cutim à collo ad inguina ambiens peramplè manicata; éſtque receptrix humorum ſordidorum, ideoque bis hebdomadatim mutatur; Cānabinis & linaceis majores noſtri induebantur; jam pertenues Aſiâ adſciſcuntur materiæ. Secunda tunica eſt pannea, ſtricta per corpus & brachia ſingulos fere artus arctans, ad vſque media crura, non ſatis prolixa; lacerti fibulis, ſeu peronibūs, ſi cum Euſtathio loquamur, (Combia vocat Cœl. Rhodig. concordante Hungarico gomb.) includuntur, vt etiam venter ſæpè pinguedinem vix continens ſuā. Oues noſtri non ſufficiunt nec artifices; Belgium, Anglia, & Italia, pannum nobis ſuppeditant; Forſan quia non arcent frigus aut æſtum propriæ merces; ſed ſolæ exoticæ mangonio nitidæ, & per multa maria allatæ. Adeo peregrina nobis placuiſſe videri volumus, vt publicas vtilitates periclitari malimus,

quam

quam priuatis detrimentis & luxui certis frænis officij; quin imo ad nouas ſubinde inuentiones ſubtiliſſima ingenia vrgemus, in noſtræ ſcilicet perniciem & exhauſtę crumenæ. Nulla colorum miſtura nobis eſt incognita, tingi qua cupimus & fucari. Pullata veſtis ſeruos decet, ſtultos ſuæque ſortis ignaros etiam cornu. Supra hanc tunicam medium hominem cingũt reticulis bombicinis mira arte elaboratis, aut chordis infinitorum ordinum. Phauorinus ap. Gell. *l.* 16. *cap.* 3. Scythas, ait, vt famem longius tolerent, faſciis ventrem ſtrictiſſime circumligare. Ea ventris compreſſione eſuritionem poſſe depelli creditum eſt. Fluxè Daci ſuccincti ſunt, & tamen ſe eſurire non diſſimulant. Eſt autem cinctus iſte virorum antiquiſſimus quo corpora infra pectus comprehenſos legimus omnis ætatis homines. Puerorũ cincticulos ſtrinxit. Plaut. *in Bacchid.* In Colum. Trajan. inuenio

uenio viros cinctos, loco tunicæ; quod ipſum nauticos remigeros Venetos in pugnis publicis facere obſeruaui, qui vmbilicum latè cingunt concurrúntque cœteroquin nudi; Hos luſus ad Pontem S. Barbaræ Venetiis quum ſpectarem, miratus ſum multitudinem quadraginta millium. Turci cinguntur duplici cinctura; ſimplici, qua ſtringuntur; ſplendidâ, qua ornantur. Vide Sanſou. *Hiſt.Turc.l.*1.

Tab. 4. Tertia Dacorum Tunica ſuperior, mediæ per omnia ſimilis, niſi eſſet laxior demiſſiórue; hæc vt plurimum vulpinis, ouillis, ferarum etiam aliarum, pellibus ſubducitur; quâ æſtate & hyeme iuxta vtuntur, in tutamen panni, quo ipſa tunica conſtat. Memini quinquaginta annos vnam tunicam duraſſe, ac attauorum veſtitum pronepotibus inſeruiſſe; Iſta tunica decenter fibulata eſt; nonnunquam fibulæ caudatæ holoſerico & auro intertextæ, longo ordine pectus & ventrem

ventrē diſtinguunt,ornántque.Manica vix vltra mediū cubitū extenditur, cuius extremis mediā lunam inferunt,ad contrahenda commodè brachia; dextram manicam ſolemne eſt non farcire lacerto, ſed humero ſuſpendere tot luporum ac vulpium terga. Tibialia femoralibus cohærent, & contingua à pube & lumbis ad talos vſque ſtrictim dimittuntur, vt veterum Dacorum ſubligacula. Calceamenti genus cum Turcis, Polonis &c. commune habent; vnde etiam Turcicè vocatur *CZiZme*; ambit autem pedem & crus vniuerſum, éſtque ad calcem ſoleatum ferro; & haud incommodè rentipellium dici poteſt. Hinc ſi ſtratam ſaxis viam agminatim Tranſyluani terunt, ſtrepitum equis ferocibus parem edunt, & neſcio quid, generoſi greſſibus ſonoris ad aures peregrini appellunt.Calcei iſti ſunt lutei,rubei,aut nigri coloris, ſplendidi inſuper ac nitidi. Capita Daci

tegunt

tegunt pileis non turritis, ſed panneis oblongis;ea parte qua in frontem,tempora & occiput pileus ille deſinit,replicatur obducitúrque Zibellinis pellibus ; vnde maximum viris acquiritur ornamentum.

Tab. 5. Fœminæ Dacorũ veſtiuntur interula ſeu tunica lineâ ſtriatim manuleatâ;huic adijciũt exomidas humerotenus exertis brachiis. Materia textũ eſt omnis generis,Ciliciũ, metaxa, florilentus pannus, vndulatum ſubſericum &c. Strias aliquot ad ſpinam dorſi tunicæ ſartores imprimunt ; in imo ſummóque veſtimenti aſſuitur fimbria ſericea villoſa,cuius extremitates ambiunt limbi aurei vel bombicini. Exomis iſta ſtrictè adaptatur coſtis pectorique ; deinde pyramidaliter ſe diffundit, éſtque in imo fluxa duodecim circiter cubitis: fimbriâ ornatur, vbi deſinit itidem ſericea villoſa, circulari, & limbis ornatur elaboratiſſimis. Vltima hæc lacinia, ipſis dicta, *d'r Schuif,* flexuoſa

&

& in ſe remeabilis ad modum fluminis, antiquis peruſitata fuit, varij, vt apud Tranſyl. & purpurei coloris: Quo trahi poteſt illud Virgilij *V. Æn.v.*250.

Victori chlamydem auratam, quam plurima circum
Purpura Meandro duplici Melibœa cucurrit.

Elegantiſſimè Maro currere tranſtulit ad artificium Sartorium. Hunc tortuoſum limbum expreſſit etiam Statius:

At tibi Mæonio fertur circumflua limbo
Pro meritis, Admete, chlamys.

Et Ouidius alicubi:

——— *quam limbus obibat*
Aureus.

Habent præterea fœminæ colobia lintea, (Dacicè *d'r Kēdl.*) ex byſſo ſæpè vel carbaſo conſuta, vndique rugoſa, ſinuoſa & ampla. Veterum Dacarum hæc veſtis eſt propria. Tab. Column. *Tract.*35. *num.*166. Cataclyſta autē mammillaris (Da-

cicè *d'r Këizl)* qua vtuntur æſtate, licet pulicum venationi non parum inſeruiat, veluti verenda reuelans matronis eſt indigna. Cinctæ incedunt Dacæ reticulis bombicinis, ſępe etiam zona ſericea nigra, bullis argenteis ornata, qualem geſtant nobiles Veneti, tempore brumali. Imitantur zonæ iſtæ ab Argentariis ductili argento, qui attenuatum metallum veluti fila mirè implicāt contorquéntque demum viperinis exuuiis ſimile textum edunt, Dacicè vocamus, *n' Mauz*; Affigitur huic operi bullarum ſemiorbiculariũm ſeu turritũ, gemmis ac vnionibus refertiſſimarum decorus ordo, ſiue (vt cum Apul. *de Aſ. aur. l.6.* loquar) multis fibulis aureis inoculatur, ſtellis veluti relucentibus? vbi deſinit, annectuntur fibulæ ex ſolido auro vel argento toreumaticè fuſæ, Dacicè, *d'Siñkl.* Strabo *lib.7.* & poſt ipſum Auentinus *lib.5.* Gothicas fœminas tradunt incinctas fuiſſe zonis æneis, nudas

nudis pedibus, canis capillis linteáque tunica, & alba veſte amictas, ſacrificia ritibus quibuſdam peregiſſe. Balthea ſiue cingula militaria veterum eiuſdem formæ fuiſſe compertum habeo: Haud dubiè hoc ipſum innuit Virg. 12. *Æn. verſ.* 273. *& ſeq.*

> —— *teritur qua ſubtilis aluo*
> *Balteus, & laterum juncturas fibula mordet.*

Idē 1. *Æn.* ℣. 495. in deſcriptione Amazonum, à quibus forſan noſtræ fœminæ cingula iſta mutuatæ ſunt:

> —— *mediis in millibus ardet*
> *Aurea ſubnectens exſertæ cingula mammæ*
> *Bellatrix.*

Matronæ pauperes viliori exornantur materia argentum aurúmue mentiente. Antiquos etiam cryſtallinis bullis (Dacicè *d' Spōngn*) vſos ait Calpurnius *in Bucolic*:

> *Alternat vitreas lateralis cingula bullas.*

Tab. 6. Cæterùm nequaquam ſilentio premenda alia bulla eſt, quâ veluti fibulâ noſtræ fœminæ Dacæ premunt papillas, Dacicè *dt hiēſtln*; precioſa ſupra modū & ſumptuoſior cæteris partibus mundi muliebris. Videmus enim in ſolido auro vel inaurato argento, gemmatas turres, grandinem adamantinam, circundata margaritis antra, expreſſas vrbes, animantia omnis generis efficta, viridarium lapillis verſicoloribus coruſcans, & quicquid ſolertia artificium valuit ornatus & quæſtus cauſa. Quondam bulla iſta Inſigne fuit triumphantium, quam in cordis figura, ante pectus antiqui annexiſſe in collum leguntur; Macrob. Poſt in vſum puerorum ceſſit Germ, Val. *ad Virg.* 12. *Æn.* De triumphis ipſæ viderint vxores, nos de fuſtibus prouideamus, atque ſic verberibus, quia verbis non poſſunt cohiberi, tineas ærarij dehortemus. A pueris id habent; ſunt igitur, nî pueriliter deliremus,

remus, cum pueris virgis variandi. Præcinguntur Dacæ poſt zonam, ventrali linteo, quod ab vmbilico demittitur ad pedes vſque; linteo dixi? dixiſſem verius rallo: nam limpidis oculis ſæpè femora conſpici poſſent. Ventrale hoc boni authores vocant ſemicinctium. Iſid. *Orig. l.* 19. *cap.* 33. *Cinctus*, ait, *eſt lata Zona; minus lata ſemicinctium*, Vide Turneb. Aduerſ. *lib.* 14. *cap.* 5. Petronius *in Sat. ſuo ſibi ſemicinctio necem meditatus eſt.* Manifeſtum etiam fit ex *Act. Apoſt. c.* 19. *v.* 12. vbi ſemicinctia Pauli, ægrotis impoſita perhibentur. Mechanici quoque ſemicinctiis vtuntur, vt Fabriferrarij, doliarij, ſutores, & qui ſimilium ſunt operarum. Hos Plautus *in Aulul. Act.* 3. *ſc.* 6. *v.* 42. eleganter Semi-zonarios appellat. Dacicè *n'Shűrtz*. Amiciuntur etiam fœminæ Dacæ amiculis ſtriatis & rugoſis ex panno nigro vel ſubtiliori materia, vel ex ouillis aut leporinis pellibus, conſarcinatis,

Dacicè *n' Kirshn.* Etiam apud Romanos in pelle lanata noua nupta conſidere moris erat, vt monuit Meurſius & Turnebus. Pedis indumentum calceus eſt coriaceus, caprina vtplurimùm pelle conſtans; is excreſcit à planta peraltè, vt etiã fèmora poſſent immitti, niſi in plicas ornatiſſimas collectus, ſuris duntaxat vinciẽdis aptaretur. Carbonarij coloris ſunt aut rubei, nitidi, ſplendidíque. Calceamenti genus hoc valde vetuſtum eſt, & antiquorum cothurni. Virg. 1. *Æn.* ℣. 342.

Purpureóque alte ſuras vincire cothurno.

Amabant enim mulieres, vti etiam Tranſſyluanæ, calceatum purpurei ſeu rubri coloris. Vnde Perſ. *Sat.* 5.

—— *ſoleâ, puer, objurgabere rubrâ.*

Et Maro *Ecclog.* 7. conuenienter:

Punico ſtabis ſuras euincta cothurno.

Hinc veteres per elegantiam ridere calceos dixerunt, vt Lucret. *lib.* 4.

&

—— *& pulchra in pedibus Sicyonia ridens*;

Fiebat enim ſolearum genus nobile & venuſtum Sicyone, vrbe Achajæ. Cic. 1. *de Orat.* Socratem inducit: *Sed vtſi mihi calceos Sicyonios attuliſſes, non vterer, quamuis eſſent habiles & apti ad pedem; quia non eſſent viriles.* Lucill.

Et pedibus lauâ Sicyonia demit honeſta.

Giſanuis confert illud Liuij Terent.

Et jam purpureo ſuras include cothurno.

Iuuenes noſtri nulla re magis in amores rapiuntur, quam Sicyoniis iſtis, quæ Praſſobij ſeu Coronæ perbellè fiunt; vident námque ſuas columbas incedere pictis vnguibus. Laurentius Ramirez Hiſpan. *ad Martial. lib. 3. cap.* 20. in Salmaticenſi tractu & Hiſpaniâ ferè vniuerſa ruſticas fœminas cothurnis delectare refert, & facilitate ſumma currere. In choreis ductæ non

modo ſaltant noſtræ jugæ ſed volant. Ruſtibus Tranſſyluanicis ſors hæſit ſordidior; Vtuntur cothurnis inconcinnius, ſeu, (cum Ouidio loquimur)

—— vagus in laxa pes ſibi pelle natat.

Idem Sidon. expreſſit:

Laxo pes natet altus in cothurno.

Hactenus de habitu fœmineo promiſcuè: Diſtinguuntur autem à nuptis virgines capitis ſolùm ornamento: Virgines capillo paſſo; matronæ ſuis peplis. Illæ congerunt crines in conum duplicem, tortulis innectentes lacinias bombicinas; vtrinque poſtmodum crinitam viperam reflectunt & per verticem capita cingunt. Quod à Græcis ad nos deriuatum eſt, qui tutulos iſtos ophiaſim vocabant; quòd ſerpentum modo in ſpiram eſſent conuoluti. Rediniunt capita Puellæ noſtræ corollis nigris ſericeis villoſis; ditiores, argenteis, inauratis, gemmis & vnionibus exornatis.

exornatis. De Corollis veterum videri poſſunt Lipſ. *lect. antiqu.* 3. Cauſab. *ad Perſ. Sat.* 2.

Dacæ coniugatæ biſacculo tempora onerant, (farcimina refert hoc ornamentum) forſan vt vlterior ſtructura, de qua mox dicturi ſumus, acubus bullatis affigi poſſit; vel, vt, inualeſcente luxu, ſobole crinium ſpiſſa carentes, aliunde tumorem ſibi acquirerent. Saccelli iſti & colligati crines operiuntur reticulis, ſeu vittis. Verſicoloribus, cuircuitus aureos ſupernè habentibus; ita demum ſyndone & byſſo, aliis etiam tenuiſſimis velis aranearum telis rarioribus, Perſiâ, Ægyptio, & Arabia aduectis, totum caput obnubunt, exerta ſola facie. Feliciſſimam mercaturam Græci & Orientales hinc percipiunt; patrimonia noſtra expilando vagantur impunè, verſantúrque media inter Regni arcana. Iacobus Armenius Perſa, qui in iſta negociatione conſenuerat aliquando ſe-

cretior mihi faſſus eſt, immenſos ſe in Tranſſyluania theſauros lucratum eſſe. Capitis hoc ornamentum Tartaris etiam vſitatum refert Vincentius Beluacenſis, *Spec. Hiſt. lib.* 30. *Tartarea*, ait; *autem mulieres turpiſſimæ ſunt, vxoratæ quidem omnes ſuper capita ſua deferunt caniſtrum longitudinis vnius pedis ac fere dimidij, vndique rotundum, & in parte ſuperiori latius, coopertum & ornatum vndique ſerico, vel ſamite, atque margaritis & monilibus circundatum, oculis pauonum infixis deſuper ad decorem.* Tali fere noſtræ vtuntur Valachæ & Claudiopolitanæ, Viciſſim rotũdis ſimpliciſſimiſquè Peplis deturpantur pulcherrimæ Coronenſes. Mos autem iſte matronarum inuoluendi capita licio laneo antiquiſſimus eſt: omnes enim ſponſæ apud veteres dum ſociabantur viris, ſolemniter nubere, hoc eſt, velare capita ſolebant, prout apud Tranſſyluanos Dacos vſuuenit; Vt ſcilicet ſe maritis obnoxias

Tab. 7.

perpetuo

perpetuo futuras intelligerent, ac proinde humilitatem præſtarent; Ambroſius de Patriarch. id pudoris gratia factitatum ſcribit. Vide Cæl. Rhodig. Illuſtre inſuper huius rei exemplum protulit Moſes *Gen.* 24. *v.* 65. Eſt etiam alia calanctica croco tincta nouarum nuptarum in Dacia, quam *Shluger* vocant; Veteribus flameum dictum, tegmen luteum, quo nouæ nuptæ velabantur. Martial. *Epigr.* 79.

Flamea texuntur ſponſæ.

Martianus Capell.

Flamea virgineum quæ obnubere ſueta pudorem.

Tribull.

Flauáque conjugio vincula portet amor.

CAPVT XIII.

De habitu Hungarorum.

Tab. 8.

AMictus Hungarorũ non prolixe hic explicandus;eſt enim idem fere ac per omnia ſimilis habitui Dacorum ; Gaudent tamen breuioribus tunicis, eiſque tempore hyberno non ſine pœnitentia. Quando Superiorem tunicam ſuſpendunt ad humerum , & propendulam gerunt exerto brachio dextro, non temerè fit : antiquos enim togas ſuas & lacinias perinde geſtaſſe legimus , & adſtipulantur omnes ſtatuæ & Poetæ : Plautus humeri læuis & exfibulationis dextræ meminit *in Mil. glorioſ. act.*4. *ſc.*4.*v.*43.

Palliolum habens ferrugineum
—— (nam is colos thalaſſicu'ſt)
Id erit connexum in humero læuo
exfibulato brachio.

Veſtitum

Veſtitum Hunnorum veterum à quibus originem Hungari trahunt, deſcripſimus ſuprà, cum ex Amm. Marcell. de ipſis verba faceremus; cuius in ſupplementum conſuli poterit etiam Iuſtin. *lib.*2.

Fœminarum Vngarorum Nobilium mundus bene ſuperbus eſt; ſed quia recens, gallicisſans & Germaniſſans, tacendus; Animaduerti Virgines cincinnos crinium & tutulos, quos Romanæ ad verticem conuoluebant, occipiti applicare: Adijce: Partem faciei, labra cum primis & nares, velis tegunt, mutuatæ forſan à Romanis in ſignum pudicitiæ, ne, (vt Tac. *l.*13. *Ann.*) aſpectum ſatient amatoribus. Credo id fieri ad auræ malignitatem excludendam. Turcæ opertâ facie in publica prodeunt. Sanſou, & Schueig. *in Itin.*

CAPVT XIV.

De Habitu Valachorum in Tranſſyluania.

Tab. 9. VAlachi communiter braccha-ti, egregiè nos antiquitatis admonent; quondam totus orbis ſeptentrionalis endromibus vtebatur. Vnde Mart.

Sordida, ſed gelido non aſpernanda Decembri
Dona, peregrina mittimus endromida.

De Getis Ouidius:

Pellibus & ſutis arcent mala frigora bracchis.

Capita pileis tegunt gauſapinis, (Dacicè *n' Kotz-Kugl.*) quo tegumento exteris adeo barbari videntur, vt in fabulas abierint. Habent vile calceamenti genus; inuoluunt plantam laceris, deinde crudo co-

rio

rio volam, pediſque digitos obducūnt, & funiculis demum aut fidibus adaptata colligant. Veterum Romanorum, majorum ſuorum, erant hi calcei militares, qui (Alph. Ciac. *in expl. Col. Tr. num.* 31.) teretibus habenis aſtricti in cancelli formam pedibus nectebant. Romani tamen nullis inuolucris vſi ſunt; quod elegantiſſimè expreſſit Agell. *n. Att. l.* 13. *cap.* 10. *Omnia*, inquiens, *ferme id genus quibus plantarum calces tantùm in fine teguntur, cætera prope nuda, & teretibus habenis vincta ſunt, ſoleas dixerunt.* Mulieres Valachorū exomi endromide amiciuntur, aliiſque ſiſybus; & capita obnubunt ignobiliori linteo. Puellæ ipſorum corollis & floriferis ſertis vtuntur.

CAP. XV.

CAPVT XV.

Circa ſolemnitates funerum.

DAcis in Trauſſyluania ſolemne eſt, fato ſuo perfunctos, magno comitatu domo educere ad contumulandos humi; dixi contumulandos; quia tumulus ſuperſtruitur ſepulchris, ſicuti olim terra coaceruari conſueuerat apud antiquos. Ordo funebrium pomparum haud ineptus eſt; præcedunt enim cantores & Sacrificuli cadauer & feretrum; ſequuntur ordinatim cæteri longa ſerie; Id L. Apuleius ſua ætate factum meminit *in Aſ.aur. lib.*4. vbi Philip. Beroald.Comm. nõ incongrua tradidit propoſito: *Pſyche*, ait, *reſpexit ad veram pompam funebrem, in qua, more priſco, procedit funus, homines ſequuntur: quaſi poſt ipſum defunctum*

ſunctum morituri; *à quibus dicebatur: Vale, nos te ſequemur.* Hinc exequias dici autumat Donatus. Cantores noſtri imitantur antiquos, qui funeribus etiam tibias præmiſêre, vt Ouid. prodidit, *Faſt.6.*

Cantabat mœſtis tibia funeribus.

Et Stat. *in Thebaid.*

Cum ſignum luctus cornu graue jungit admiſſa
Tibia, cui teneros ſuetum producere manes.

Olim in Nobiliorum funeribus tubâ cantitatum refert Turneb. Huc pertinet illud *Matth.cap.*9. vbi Dominus noſter I. C. in exequiis cujuſdam Principis, *inuenit & turbam tumultuantem.* Neque Sacrificuli in Tranſſyluania temere funeribus interſunt: Appian. enim, (in Syllæ funere) *præcedebant*, ait, *Sacerdotum collegia.* Præterea à noſtris Dacis ſumptuoſe amiciuntur cadauera, & lectulis aſportantur & feretris patentibus. Plaut.

Faciam ego hodie te ſuperbum niſi hinc abis.

Super

Superbum hic mortuum interpretatur Nonius, quia apud antiquos tunc potiſſimum ſplendidiore habitu efferantur etiam pauperes.

Mulierculæ Dacorum, funera Parentum, liberorum, maritûm, cæterorúmque cognatorum incredibili ejulatu ſequuntur, laudes defuncti miris fletibus ſtringunt, ac, dum aſſeruatur cadauer (ſæpe triduo) compoſita oratione veluti cõceptis verbis omnem hominis vitam ingenti vociferatione declamant. Concurſus hic fœminarum fit magnus, & properant omnes officij ſpecie ad auditorium ſuæ profeſſionis, vt in formulis lamentatoriis erudiãtur, diſcántque proijcere manus, corrugare frontem, immergere oculos, fundere lacrymas & diſtortis labiis figere oſcula. Nec deſunt dehortationes intemperantiſſimi luctus. In raucedinem ſæpe delabuntur; quam etiam fingunt, quæ copiam dicendi non habent. Vidimus nihiloſecius ge-

neroſas matronas non raro lacrymas ſuppreſſiſſe. Sunt iſta inter præclara antiquitatum referenda. Romanorũ fœminæ perſimili oratione defunctis parentabant. Tac. *Ann.*1. *Neque multò poſt extincto Maximo (dubium an quæſita morte) auditos in funere eius Martiæ gemitus ſemel incuſantis, quod cauſa exitij marito fuiſſet.* Lamenta & fœmineos vlulatus iſtos leſſum vocabant veteres, quem *ll.* 12.*tabb.* apud Cic. 2. *de ll.* ſublatum legimus: *Mulieres*, ſunt verba, *genas ne radunto, nenè leſſum funeris ergo habento*: laniabant quippe genas & faciem, vt innuit de Anna Didus ſorore, loquens Virg. 4. *Æn.* ℣. 672.

Audijt exanimis trepidéque exterrita curſu;
Vnguibus ora ſoror fœdans & pectora pugnis,
Per medios ruit ac morientem nomine clamat.

Terent. *in Andr. act.* 1. *ſc.* 1.

Quæ tum mihi lamentari præter

cæteras

cæteras viſa eſt.

Idem.

—— *fletur interea hæc ſoror.*

In Phrygia Præficis vtebantur, quæ erant mulieres conductitiæ, quæ ex aliorum animo mortuos ad ſe nihil pertinentes, cum mercede deflebant, næniámque agebant ad tibiam. Hinc Papin. *in Epic.Patr.*

Et Pharios alia ficta pietate dolores
Migdonióſque plorant & non ſua
funera plorant.

Varro *l.4.de vit.pop. Rom. Ibi*, inquit, *à muliere quæ optima voce eſſet, Pergama laudari, deinde næniam cantari ſolitam ad tibiam, & ad fides eorum, qui ludis Troicis curſitaſſent.*

Nonnullis Tranſſyluaniæ locis obtinuit conſuetudo laudabilis, qua cauetur, ne intra ſepta vrbis, ſepeliantur cadauera mortuorum. Idem *ll.12.tabb.* cautum erat, referente Tullio, *lib.2.de ll.*

Tranſſyluani cadauera floribus & odoriferis herbis conſpergimus; ab antiquis procul dubio ad nos deriuatum

deriuatum eſt. Virg. 4. *Æn.* ỷ. 506.

Intenditque locum ſertis & fronde coronat
Funereâ.

Tumulos etiam ſepulchrorum floribus Daci conſpergimus: Veteres quorum felicitatem plus quam humanam volebant videri, dicebant de viuis quidem, ex eorum veſtigiis flores naſci: vel terram ſponte ſua in illorum honorem flores producere: de mortuis autem, ex eorum tumulis ſuaueolentes quoſque flores erumpere: Quæ ſententia ex veteri more ſunt ortæ, aſpergendi flores honoris cauſa & fauoris. Ita Perſ. *Sat.* 2.

—— *quicquid calcauerit hic roſa eſt.*

Prudenti⁹ etiã de priſcis Chriſtian.

Nos tecta fouebimus oſſa
Viglis, & fronde frequenti,
Titulúmque & frigida ſaxa
Liquido ſpargemus odore.

Et B. Hieronymus *in Epiſt. ad Pammachium: Cæteri riti ſuper tumulos conjugum*

conjugum ſpargunt violas, roſas, lilia, floréſque purpureos, & dolorem pectoris his officijs conſolantur.

Affigitur Hungarorũ ſepulchris pilus ſeu con⁹. Apud Hiſpanos olim mos erat, tot numero verucula ſeu haſtas figere, quot quiſque hoſtes interemerat; Simillima olim Britanni feciſſe dicuntur, vt Alexandri, Achillis clypeo, haſta, ſepulchro conſpectis erectiores fierent. Eſt enim in mortuorum ſepulchris vitæ quædam hiſtoria.

CAPVT XVI.

Circa ritus Conuiuiales.

TRanſſyluanis, cum antiquis, duplex menſa eſt: vna epularum, altera potionum. Primæ menſæ mediocritas, reprehenſionem effugit; ſecunda meretur execrationem. Omnis enim familiaritas à

Baccho confirmatur; quem Deum præſidem ſocietatum & cunctorum penè cõgreſſuum arbitramur. Magnorum virorum meminiſſe vel amicos feciſſe, eſt, præſentem vel abſentem poculo & propinatione onerare honoraréque. Ratio autem bibendi in ſalutem amicorum ab antiquis eſt; diſcimus hoc ex Dione, qui tradidit in multa copia honorum Auguſti etiam hoc decretum, vt per genium eius vulgo iurarent, & in conuiuiis omnibus pro ſalute eius libarent. Vid. Plin. *Panegyr. Trajan.* Hinc in Tranſſyluania, vt etiam apud Germ. obtinuit vt in commeſſationibus Principum & Aulicorum ſaluti ac fortunæ, plenis gratulentur calicibus; his caſſibus ſuos ſibi obligant potatores. Antiquum eſt & ab Horat. deſcr.

Vultis ſeueri me quoque ſumere
Partem Falerni? dicat Opuntia
Frater Megillæ, quo beatus
Vulnere: qua pereat ſagitta.

Et

Et dilicium illud Poëtæ Tibullus :

Sed bene Meſſallam, ſua quiſque ad pocula dicat,
Nomen & abſentis ſingula verba ſonant.

Quin & illud vſurpabant antiqui vt in honorem amici aut amicæ tot cyathos biberent, quot literæ in eo nomine eſſent. Martial :

Næuia ſex cyathis, ſeptem Iuſtina bibatur.

Iuſt.Lipſ. *dial.*10.*l.*5. *Poliorcet.* Libationem in menſa dixit eſſe honoris indicem tam Romanis quam etiam priſcis Græcis perfamiliarem ; quibus mos fuerit Diis primum libare, eorúmque honori primum bibere ; tum etiam beneficiis in ſe aut amicis. Atque hoc eſſe Græco more bibere Aſconius prætendit ; *in Verr. Eſt*, inquit, *Græcus mos cum merum cyathis libant, ſalutantes primo Deos, deinde amicos ſuos nominatim : nam toties merum bibunt, quoties & Deos & charos ſuos nominatim vocant.* Quin etiam eo ventũ,

*lib.*20.

*lib.*20. ſcribit Athénæus, vt diſcipuli Præceptoribus ſuis bene precati libarent. Signanter ad propoſitum noſtrũ Taubm. comm. Plaut. Veterum libatio ſimplex erat & guſtatio, apud nos vero balneum eſt non potio: infundimur & perfundimur hodie, atque adeo confundimur; dúmque alienæ ſaluti libamus noſtram limamus & lædimus. Et ſæpe fit vt apud eiuſmodi balneatores jus brutorum nullis precibus impetrari poſſit. Sed hæc inſania combibonum vetus eſt, & eam præter alios graphicè deſcripſit olim è noſtris D. Ambroſius *de Hel. & jej. cap.*3. Sine menſura bibitur ad menſuram, & is cæteris præualet qui aut gula aut dolo (quid? ſi dolio) ſtrauit, aut vicit compotatores? *Quæ tamen gloria eſt* (Sen. *Epiſt.*83.) *capere multum? Cum penes te palma fuerit, & propinationes tuas ſtrati ſomno ac vomitantes recuſauerint; quum ſuperſtes toti conuiuio fueris, cum omnes viceris vir-*

tute magnifica, & nemo tam vini capax fuerit, vinceris à dolio. Innocentius III. Summus Pont. in Concil. Gener. mores hoſce damnauit; quod etiam Gregor. Iuri Canon. *lib.* 3. *tom.* 1. *cap.* 14. inſeruit. Locus, tametſi Eccleſiaſticos ſolùm appellat, perinſignis eſt: *A crapula & ebrietate omnes clerici diligenter abſtineant: vnde & vinum ſibi temperent, & ſe vino: nec ad bibendum quiſpiam incitetur: cum ebrietas & mentis inducat exilium & libidinis prouocet incentiuum. Vnde illum abuſum penitus decernimus abolendum, quo in quibuſdam partibus ad potus æquales, ſuo modo ſe obligant potatores: & ille iudicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fœcundiores exhaurit. Si quis autem ſuper his ſe culpabilem exhibuerit, niſi à Superiore commonitus ſatisfecerit, ab officio vel beneficio ſuſpendatur.* Notabile eſt, quod in Gallia ebrioſi teſtes eſſe non poſſint; Hæc lex ſi nobis eſſet recepta, difficillima foret

ret productio teſtium in Tranſſyluania; etiam Germani bene bibunt, niſi quos morbi temperantes faciunt.

Orandi ante menſam conſuetudo creditur Chriſtianis ferè propria; ſed ipſa etiam ab antiquis translata fertur, qui menſas ſtatuis Deorum exornare ſolebant. Promouentur autem rectè à dextris pocula: vt enim in veneratione Deorum dextrouorſum circumagi ſolent; ita in hac quaſi ſacra ſymposi, moris fuit pateram olim in dextrum circumferre. Auſon. *Ep. 9.*

Vt ſolitum, quoties dextra innitatio menſæ
Solicitat lenem comi ſermone Lyæi.

Denique in mentem mihi venit temulenta fraternitas noſtrûm ebrioſorum? iciunt iſti fœdus amicitiæ ſemiſopiti, ac ſe vocant fratres adoptitios, adde, ineptitios. Sicuti res ipſa Chriſtianis hominibus incongrua; ita obſcœnæ etiam originis eſt. Erant enim apud antiquos

Frater & Soror inter laſciua & erotica, vt puellæ eos quibuſcum ſolitæ eſſent, & (vt cum Lipſio loquar) quibus dare conſueuiſſent, Fratres vocarent: & contra amatores, ſuam comparem cum qua caput limarent, ſororem: Vnde Tibulliana illa:

Hæc tibi vir quondam nunc frater caſta Naæra
Mittit, vt accipias munera parua rogat:
Téque ſuis jurat caram magis eſſe medullis;
Siue ſibi conjunx ſiue futura ſoror;

Petronius etiam in amœniſſimis Satyris: *Si non faſtidis fœminam ornatam & hoc anno, primùm expertam virum, concilio tibi, ô Iuuenis Sororem. Habes & tu quidem fratrem*; (Gythonem puerum) *neque enim me piguit quærere, ſed quid prohibet & ſororem adoptare eodẽ gradu veniæ.* Hinc manauit poſtmodum vt amici ipſi ſe appellarint Fratres; Quintil. *in Declam.*

Declam. 321. Certè quoties blandiri volumus his qui eſſe amici videntur, nulla adulatio præcedere vltra hoc nomen poteſt, quam vt fratres vocemus.

Tranſſyluani bibimus etiam ad clangorem tubæ & intonium cujuſvis inſtrumenti muſici; quod ſua ætate Tartaros factitaſſe meminit M.Paul.Venet. *Itin. Tart. lib.* 2. *Et cum Imperator*, ait, *ſcyphum leuat vt bibat, omnes circumſtantes citharœdi, & muſicorum inſtrumentorum luſores, chordas tangunt & ſuauiſſimam edunt melodiam.* Tartaricos Principes nõniſi ad ſymphoniæ cantum bibiſſe, docet Spec. Hiſt. Vincent. *lib.* 32. *cap.* 22. & Itin. Monteuil. Angl.

CAPVT XVII.

De cryſta & pennis Hungarorum.

Est in moribus Hungarûm noſtrorum pileo affigere pennas Accipitris, Aquilæ, Milui, aut cujuſuis auiculæ rapacis alam. Iuuenes cumprimis hocce ornamento mirè ſuperbiunt. Id autem à Turcis didicerunt; Turci hoc ipſum accepêre à Tartaris. Lazar. Soranz. *Ottom. par. 2. p. 99. Coſtumano*, verba ſunt, *i Turchi di portar ſimili penne in capo; ſequendo il coſtume de Tartari, che paſsò à Turchi, da poiche Zingi Han, che non bene è chiamato d'alcuni Cangio, fu ſerbato in vita da un gufo, percioche eſſendo queſto uccello volato ſopra alcuni arbocelli, ſotto à quali ſtaua naſcoſto Zingi per timor de nemici, che lo ſequiuano, fù creduto da*

da loro, ch' iui non vi poteſſe eſſere alcuno, poiche vi ſtaua come ſicuro: onde i Tartari, dice Haytone Hiſt. Orient. cap. 16. tengono detto vccello in tanta reuerenza, che chi potè hauer all' hora delle ſue penne ſi tenne felice, è gli altri tutti poi di mano in mano ne ſono andati portãdo di ſimili ſopra la teſta, in memoria di cotal fatto, e per riuerẽza. Hoc eſt: Solent Turci perſimiles pennas gerere in capite, ſecuti mores Tartarorum; Poſtquam videlicet Zingi Han, quem perperàm nonnulli Changium vocant, bubonis beneficio retentus eſſet in viuis; quoniam bubo auis inſidens virgultis, ſub quibus forte latebat Zingi Han per timorem & metum hoſtium ſe perſequentium, reddiderat ſecuros maleuolos iſtos; neque enim arbitrabantur bubonem male tecti hominis præſentiam ita patienter laturam: Vnde Tartari, referente Haythone, dictam auiculam ita venerantur, vt felices ſe prædicent ſi pennis dictæ auis ca-

pita exornare poſſunt ; atque paulatim hæc conſuetudo affigendi pennas quorumuis auium valde inualuit, propter facti memoriam reuerentiámve Principis.

CAPVT XVIII.

Milites Tranſſyluani luporum exuuiis ornati.

Tab. 10. AVdaciores noſtrę militiæ fortitudinem mentiuntur ferinis pellibus, quas dorſo ſuſpenſas in terrorem hoſtium circumferre ſolent. Id ex antiquitate retinent: Priſcis enim temporibus Heroes tali cultu gauiſos legimus, vt apud Virgilium 2. *Æn.* ℣. 722. de eodem habitu gloriatur Æneas.

Veſte ſuper fulvíque inſternor pelle Leonis.

Non raro à Ducibus noſtris propter facinora egregia equites munerantur

necantur honorantúrque pellibus ferarum; provt antiquitus vſuueniebat, Marone itidem teſtante, *lib.9. Æn.* v.306.

Dat Niſo Mneſtheus pellem, horrentíſque leonis
Exuuias: galeam fidus permutat Alethes.

Corn.Tac. *lib.1. Hiſt.*circa caſum Galbæ, *Nec minus*, ait, *ſæuum ſpectaculum erant ipſi, tergis ferarum & ingentibus telis horrentes.* In typis etiam Columnæ Trajanæ milites Romani hoc cultu videntur inſignes *tab.6.n.47.*

CAPVT XIX.

De furca infami.

FVres rerum minutarum, in ſcorto etiam deprehenſi, damnantur in Tranſſyluania ad furcam infamem; Iſti inter fiſſuram ligni, (lati duas ſpithamas, longi ſeptem) col-

ſum & expanſas manus egerunt; Dacicè hæc furca dicitur *n' fédl.* Id genus pœnæ antiquiſſimum eſt, cuius etiam Dionyſius *lib.7. antiq.* meminit, *& ambas manus pœnam ſubituras extenſas, tranſacto collo ad lignum alligato, quod circa pectus & humeros ad manuum volam pertingeret; ſequutos flagris cadentes ſic nudos*; Apud Com. etiam:

——ego remittam ad te virum
Cum furca in vrbem, tanquam Carbonarium.

Notetur: Apud nos ſtantes luunt ſontes & fixa furca virgis aut ſpinis cæduntur; apud veteres autem cum ipſa furca abigebantur flagris cæſi. Lipſ. *l.3. de cruc.c.4.& 5.*

CAPVT XX.

Nota Curſorum Tranſſyluaniæ.

POſtæ, ſiue curſores Tranſſyluaniæ laminam argenteam Principis

cipis inſignia referentem corrigiâ ad collum ſuſpendunt; qua nota celeriter diſcurrunt, & deficiens jumentum obuio quouis alio permutandi priuilegia habent, aluntúrque gratis, vbique publici boni cauſa. Hunc morem Tartarorum eſſe retulit Marc. Paul. Venet. *Itin. l.* 1.*c*.4. *Ipſe verò,* ait, *Magnus Cham tabulam auream ſigno regali ſculptam & inſignitam, iuxta imperij ſui conſuetudinem illis tradi iubet, quam commeatus loco ſecum per totum eius imperium deferentes, vbique à Prouinciarum & ciuitatum rectoribus per loca diſcriminoſa ſalui deducerentur, atque expenſas ab eiſdem reciperent, & quacunque tandem re opus in itinere haberent, illis Imperatoris nomine ſuppeditarent.*

Magnificis & Generoſiſſimis
Dn. Dn.

Iohanni Volffgango Gregorio NICOLAO Paulo Alexi	Bethlen, de Kereſd & Kis Bun.
Paulo Iohanni	Haller de Haller-ſtein, Com. Tranſſylu.
Johan. Sigiſm. Ioh. Vilebald. Ioh. Chriſtoph. Tobiæ Gabrieli Iuſt. Lazaro	Haller de Haller-ſtein Patrit. Norimberg.

d. d.

L. T.

APPENDIX.

Reuolutiones ſeu occaſus Tranſſyluanorum.

OMne bellum affectuũ operatur rebellio. Cuncta mundi incendia & calamitates riuulo deducuntur iſto; nulla non humani generis pernicies huiuſce infelicis eſt originis. Rationi námque vix poſita lex eſt, quòd ipſa meditatur jura labentibus. Devictâ primùm ratione, pòſt ſoluti mortalibus bella denunciant affectus. Ita, miſelli, quò non ferimur poteſtatis noſtræ caſu? Poſtquam autem poteſtas virtutis vicem obtinuit, non mirum, ſi impotentiâ rationis, in opprimendis minus potentioribus, curiosè ſollicitamur. Etenim ſuperbia vires nacta immenſis

menſis flagrat gloriæ cupiditatibus, nihil non auſura, donec ſuperiorem vel parem ſe ſciuerit. Hinc manant primò contemptus & odia, pòſt injuriæ, mox controuerſiæ, ac demum inopia iudicium, atque adeò non obſcura belli rudimenta; Armis decernat neceſſe eſt, qui cõpetenti caret iudice. Bella (verum eſt) nunquam non pernicioſa, eadem tamen vberem ſæpe materiam magnæ præbent virtuti: Bis namque temperans eſt, qui in tanta affectuum poteſtate ſibi temperat; Contentus vxore ciuis haud difficulter caſtus eſt; belliger autem abſtinentià clarior erit. Quum militibus noſtris, (ſi honeſtæ nominis militiæ colluuies facinoroſorum hominum capax) vitia & exceſſus ſunt periculorum ſolatia. Virtutem igitur non auferunt bella, verùm ſæpiculè præcipuarum fiunt occaſiones. Non expedit in eâdem ſemper hærere virtute; contingit enim tenacius iuſtitiæ intentis, injuſtiſſi-

ma

ma clementiæ obliuio ; Amicitiæ item perpetuæ leges bellicæ officiunt fortitudini. Vtque molli effœminantur homines educatione, (caſuri primus gradus eſt Imperij negligens Principum inſtitutio) & aduerſis probati demũ verè viri cẽſentur. Ita tantiſper otio diuinitus puniri mortales exiſtimo, dum caſſes futuræ nectuntur ſeruitutis ; è contrario fortes mutuâ dignari exercitatione, ne gratis videantur liberi : Vnicum enim eſt libertatis prætium, ſanguis, quo & comparatur & poſſidetur. Noſtri æui Principes Rerumpublicarum, item & ciuitatum Chriſtianarum reguli, quique iſtis ſubſunt, omnem vitam mercaturæ ac literis locant ; Soli mortalium Turci primam armorum curam habent, hoc vnicum ferè agentes, literas vt reipub. peſtem (Licinium imitantur, qui ſymboli loco id ipſum vſurpabat) auerſantur, ne amore ac deliciis ſtudiorum irretiti, tyrannidis ſuæ

negligerent

negligerent adminicula ; totum id ferro & flammâ vno menſe mercantur,quod multis conquiſiuimus annis,felici quidem mercaturâ, ſed quæ vix ſiccis ſcribi poteſt oculis. Neque ſpe ſuâ falſi eius imperia magnitudinis poſſident, quæ nemo regum ſperare valet. Sed habeant ſua illi principia, nos glorioſiorem vitæ finem,quem ſequimur,tandem obtinebimus. Inter tot autem crudelitatis ac ſæuitiæ monumenta, in omni temporum memoria, nullum neque miſerius neque ærumnoſius eſt , Tranſſyluaniæ ac Vngariæ reuolutionibus. Tranſſyluania namque , vetus Dacia , ſuis quondam recta regibus , omnes illius plagæ Dominos magnitudine rerum geſtarum ſuperauit ; cunctis ſui felicis æui populis , Romam vſque, bellipotentior, magna vel fecit vel euertit imperia , cuius amicitiam non inepte mundi pondus dixiſſes, quo vel trahi, vel remitti Principes conſueſſent. Et vt vnico comple-

ctar,

ctar, quod paucis ſcribi nequit, pernices Scythę,& Scytharum poſteri Hunni, feroces Daci, & Dacorum cognati Gothi, quicquid vltra Mæotidem & Aſiá habitabile erat, vniuerſam Affricam, & Europæ præcipuas nonne ſuis ſubjecêre juſſibus regiones? Quem Imperatorum ad has vſque temporum feces Dacico-Tranſſyluania virtus inexercitatum reliquit? Florentiſſimis populi Romani temporibus, Domitianum Imperatorem annuo Daci mulctauêre tributo, malè tamen & ipſi pòſt à Trajano Cæſare mulctati ſunt, qui duplici expeditione è regno prouinciam fecit. Et extat adhuc Romæ Columna Trajana, incorruptarum, quæ ibi proſtant, antiquitatum optima teſtis, quam vix præ lacrymis non ita pridem intuebamur, quòd in nihilum redacti periculoſiores Dominorum Orbis hoſtes & æmuli, prædurâ nunc premuntur ſeruitute. Hungaci etiam, Sarmatas, Dalmatas, Italos,

los, Gallos & Germanos olim ſubjugauêre, & hiſtoriâ præclarum eſt, Germanos Vngarorum tributarios fuiſſe aliquando, quos tamen Henricus Auceps memorabili clade deuicit repreſſitque. Verùm jam amiſſa eſt Vngaria pace magis, quàm bello, & portiuncula, quæ reſtat, Angaria (eò quod perpetuo agitur angore) rectius diceretur. Quo autem pacto regiones iſtæ eò miſeriarum deuenerint, quibus authoribus perierint, & quomodo à Turcis debellatæ ſint & ſubjugatę, breui narratione, clara tamen & liberâ, expediam.

Annum circiter trecenteſimum octogeſimum tertium ſupra milleſimum, Ludouicus Vngariæ Rex Tranſſyluaniæ populis, Moldauis, Valachis, Tranſalpinis, Mœſiæ vtriuſque gentibus, Dalmatis, & Sclauis longe latéque imperitabat, conſobrino ipſius, vel, vt alij volunt, fratre, Andrea, Apuliæ regnum tenente; quem paulò pòſt

vxor

vxor Ioanna, vt totius obſcœno indulgeret genio, per Italos amatores necari iuſſit. Quo prætriſti nuncio Ludouicus, multorúmque agri Neapolitani Procerum literis, haud difficilè perſuaſus, vltricem in perduelles illos ſuſcepit expeditionem. Eâ autem felicitate rem gerebat, vt, profligata Ioannâ, primo eius aſpectu reluctantes Italos dicto fecerit audientes. Deleuit mox obſtinatos, clementiſſiméve in horrendi facinoris auctores animaduertit. Quum pacatæ res præſentiam eius amplius non deſiderarēt, reditum parat; relicto ibi Stephano, Vayuoda Tranſſyluano, alti ſpiritûs viro; cum validis equitum peditúmque copiis, vt regnum illud ab Vngaria remotum, & defendi & in officio cōmode cōtineri poſſit. Abſente Ludouico, alius ſe regio opponebat præſidio Ludouicus, Tarentinus videlicet, quò cum Ioanna ſecundum inierat matrimonium, & recuperandæ dignita-

tis

tis cauſâ nullum non mouebat lapidẽ. At inuicta Tranſſyluani prudentia, & incredibilis in Regem ſuum fides, facilè impetum ipſorum ſuſtinuit. Clementis tandem ſeptimi huius nominis, Maximi Pontificis interceſſione, bellum hoc ſopitum eſt. Iiſdem temporibus Franciſcus Carrarius, Patauinus Princeps, amicitiam Regis & auxilia demeritus, Venetis negocium faceſſit, Duce præſertim Stephano ſuprà memorato; ad Riuoaltum vſque primus mortalium penetraſſe fertur. Magnam hominum opinionem ſibi Vayuoda peperit, póſtque tot pericula & labores, præmia non exigua expectabat; Verùm, ſecus ac ſperauerat, Rex omne ei abdicauit imperium, quòd alienam in regno poteſtatem periculoſam ſibi futuram iudicaret. In eius locum ſurrogatus eſt Nicolaus Bebeci filius. Tranſſyluanus tametſi non mediocriter Ludouici confuſus ingratitudine, rem tantiſper

diſſimulauit, dum fato ſuo Rex defungeretur. Voto tandem potitus ſuo, Mariam Reginam, Ludouici filiam, Sigiſmundo Bohemiæ Regi deſponſatam, ſoliō turbandam ſtatuit. Præcipuos Vngariæ Proceres ad ſuas pertrahit partes, qui beneficiorum defuncti Regis immemores, mulieris regimen abominabantur, &, miſſo Zagabrienſe Antiſtite, Carolum paruum Andreæ Apuliæ regis filium prolixâ oratione inducunt, vt ad capeſſendum auitum Vngariæ regnum veniret; Accepit oblata Carolus, & non contemnendâ manu Budam verſus cōtendit. Nec Maria cum amicis, Nicolao Garà præſertim, regni Palatino, ſuis rebus deerant. Verùm Stephanus Vayuoda Tranſſyluanus injuriam vlturus antiquam, rejectâ Reginâ, Carolo regnum tradit. Breue autem (vt ſolent violenta) adepti gaudium erat imperij, quippe Palatinus per Blaſium Forgats noui Regis caput ingenti macherâ
ſindere

ſindere curauit; atque ſic, euocato Pragâ Sigiſmundo, Regina in integrum reſtituitur, hoſtes vel cæduntur,.vel in gratiam recipiuntur, aut profligantur. Stephanus cum ſuis ſectatoribus, extremis compulſus, ad Bajazetem, Turcarum regem, tabellarios mittit, clámque de filiæ nuptiis agit, câ quidem conditione,vt generum, ad eijciendum Pānoniæ regno Sigiſmundū, opibus & auxiliaribus copiis juuaret. Rem per internuncios eò deduxit, vt ſub ſpe affinitatis oblatæ, quam tantoperè profanus ille Barbarus appetebat, nonnullas Turcarum legiones, ad labefactandas Sigiſmundi vires, inter Sauum & Drauum induxerit, vnde magna Vngariæ appendicibus calamitas inferebatur: Atque hic primus eſt Turcarum inferioris Pannoniæ ingreſſus, non minus Vngaris, quam Græcis, niſi improuiſa Stephani cædes anteuertiſſet, exitio futurus. Sic, inquam, vno errore & Græcia

&

& Vngaria periêre;iſta quidem incautior, quòd funeſtis vicinorum euentibus doceri noluerit; illa verò imprudentior, quòd ciuilibus ſuis confuſionibus auxiliária inſuper Turcarum arma addiderit,neſcia, in euocantem (vt Florentinus ait) alienæ potentiæ copias, nunquam non eſſe pernicioſas: quandoquidem iis fractis, euerſum; victricibus, captiuum te ſenties. Sigiſmundus poſtea Rex, vt Bajazetis componeret inſolentiam, juſto in eum proficiſcitur exercitu,temeritate autem quorundam mercenariorum Burgundiæ militum,intempeſtiuè hoſtes aggredientium, inferior euaſit, & caſtris exutus,cum paucis fugâ ſalutem inuenit.

Albertus primus Auſtriacæ domus Vngariæ Rex,Sigiſmundi ſucceſſor, memorabile contra Turcas nihil egit; Mors eius ſine liberis, tametſi grauidam reliquerit Eliſabethã, cruentiſſimũ ciuile Vngaris eſt operata bellũ;Hinc orti sũt Hũgari

gari Germanici. Quidam enim Procerum, quos inter Dux erat Iohannes Hunnyiades Corvinus, & Nicolaus Vilachi, incerto puerperio diffiſi, Ladiſlaum, Caſimiri Poloniæ regis fratrem, euocandum arbitrantur. Quidam verò dilationem rei vrgent. At obtinuit pars prior, & ſplendidam decernunt Legationem, quæ Ladiſlao Regni offerret habenas. Nondum Craccoviam miſſi venerant, quum felicis Reginæ partus nuncium habuêre, & à præcipuis Eliſabethæ aſſeclis, Ladiſlao Gara, Banato, Iohanne Philippo, Corago, Andrea Both, & Henrico Thamaſij, Vayuodæ filio, abrogatione ſuſcepti muneris, reuocantur. Aduerſâ autem parte animati, tantæ rem opinionis finiunt, & Polonum Budam deducunt. Inter ipſa mox inaugurandi ſolemnia Reginæ & pupilli fautores hoſtiliter quaſdam regni prouincias ingreſſi, Ioannem Hunyiadem & Nicolaum Vilachi, (qui
compeſcendæ

compeſcendæ ſeditionis causâ illuc profecti erant) offendunt; fit acris ibi pugna,& multo ſanguine inclinantur illi, palantéſque cæſi fugatique, regiis præda fiunt amicis. Amurates Turcarum Rex,qui primus Ianizerorum ordinem, maximo noſtro malo,inuentauit,ex mutuis Vngarorum armis occaſione nacta, Albam obſedit, vrbem Pannoniæ haud poſtremam, virtute tamen præſidij, & Ioannis Raguſini viribus vniuerſo ferè amiſſo exercitu,repulſus eſt. Maximam opum Turca hominúmque perpeſſus jacturam repetitâ expeditione, quacunque licet parte, Vngariæ Regnum incurſat; & tantiſper ferro & flammis graſſatur, dum Ioannes Hunnyiades Corvinus, locorum præfectus, inſtructâ acie obuiam ei proceſſit, vnóque impetu infeſtiſſimum protriuit hoſtem.Non exigua res iſta Corvino peperit momenta, quò jam formidabilis non modò intra fines coërcendo ſed cladibus

etiam afficiendo Turcam repreſſerit. Neque Amurathes ſuis defuit, quod Iſaachum, callidiſſimum & multæ audaciæ hominem virtuti illius oppoſuerit, qui cedere Chriſtiano inglorium eſſe ratus, perpetuis Vngaros exercuit velitationibus. Similiter Mezethus, rei bellicæ clariſſimus, è Mœſia (quam, deuicto Georgio Deſpota, Turcæ ceperant) erumpens Tranſſyluaniam multis legionibus inuadit, incendio & direptionibus cuncta complet. Ioannes, audito illius aduentu, in prouinciam properat, at in tanta militum trepidatione neque cogere copias, neque inhibere validiſſimos hoſtes poterat. Ad Albam tandem Iuliam confugit, vbi cum Georgio Lepen Epiſcopo, de liberanda patria conſultatur, & placuit, tumultuario exercitu fortunæ periculum facere. Iam Turcæ appropinquabant, qui luſtratâ maximâ regionis parte, præda tam hominum quàm bonorum onuſti,

cunctan

cunctantius iter faciebant. Quum Ioannes cum Pontifice ex vrbe quoquoverſus præter incendia & ejulatus nihil proſpectarent, miſeriâ pietatéque ad pugnam ſucçenſi, Turcis (tametſi temerè occurſurum ſe vterque intelligeret, pulcherrimè tamen mori, quàm prouincialium cædes, & calamitates tolerare, maluit) obuiam prodeunt. Incauti præ nimia vlciſcendi libidine iter faciunt, nullis ſpeculatoribus neque celeribus præmiſſis equitibus, quadrato agmine, ad Diui vſque Emerici villam perueniunt. Callidiùs rem Mezethus egerat, in proximas, quæ circumſidebant, conualles, equitatum dimiſerat, inſidias item clandeſtinas intenderat, quum ad inſidiarum loca perueniſſe Vngaros, in conuallibus deliteſcentes ſenſiſſent, ex improuiſo conſurgunt, ingentem in eos impetum faciunt, quem tympanis ac clamoribus iuxta augent. Ioannes & Epiſcopus, viſâ circum

multitudine, conſternati, retrò fugam rapiunt. Contrà illi à tergo inſtant, aſſequutos capiunt, aut obtruncant. Pontifex, cum palantes fugerent omnes, pari ſe pernicitate ſeruare contendit; dúmque tranſilire riuum conatur, equo excuſſus ab impetente interficitur hoſte. Turci hac victoria animoſiores, in omnem paſſim ætatem impunè ſæuiunt. Coruinus, mirâ celeritate Tranſſyluaniam cruento enſe perluſtrat, militem ex pagis oppidiſque cogit, Seckhelios arma ſumere iubet; Turcam deinde, populatâ prouinciâ inſolentiùs abeuntem, tumultuario exercitu inſequitur, vt vbicunque tempus, locúſque occaſionem obtulerit, hoſtem intercipiat. Mox, vbi Mezetho nunciatur, Ioannem cum ingenti multitudine non procul ſubſequi, hæc illum nuncio reſpondiſſe ferunt: Veniat, inquit, & opulentiorem, quam antea victoriam relinquat. Intererat rebus

explorator

explorator Tranſſyluanus, & quæcunque ſubinde Mezethus de ineundo cum hoſte prælio decernebat, ſubaudiebat: imperauerat potiſſimum ſuis Turca, vt in ipſis pugnæ primordiis, in ſolum Ioannem incumberent, quo ſublato, facilè Ducis caſu perterritos vinci poſſe exiſtimans. Quum hæc explorator auſcultaſſet ſe clam ſubduxit, ad Dominum recurrens rerum ſuos omnium admonuit, atque illud imprimis; vt ſibi Vayvoda præcaueret, quando ſymbola ſat explorata congruáque ipſius & equi, hoſtis haberet, id peculiare negocium veteranæ eſſe mandatum legioni. Edoctus Ioannes, præſentaneum & ſalutare cœpit conſilium. Erat ſibi miles quidam, è Kemenia nobilitate editus, cui nomen erat Simon, Coruino perſimilis, alioquin vir fortis & impiger. Cum hoc equum armáque commutat, & in validiſſimo ſtatuit equitatu. Suppoſitus pro Corvino

Simon periculum non detrectat, & deliberato fato pro Domino interire non recuſat. Mox præcedentem ille hoſtem ſequitur, & vbique conſerendæ manûs occaſionẽ quærit. Dum hîc vtrinque decertatur, Turcæ ſpectatæ fortitudinis ex cõpoſito Simonem, Corvina arma ferentem, circumueniunt, at cataphractorum obfirmatum equitatu haud facilè attingunt; quare penes ipſum multi occubuêre. Demum vt Ducis peragerent mandata, cæſis qui Simonis tuebantur latera, tandem pro Imperatore ſuppoſitum equitem interficiunt. Interea Corvinus ſuos hortatur nutantes confirmat, diſcurſans militis ſtrenui & prudentiſſimi Ducis vnâ munere fungitur. Mezethus cum filio & copiis ſuperſtitibus, in rabiem verſos homines, (vt ipſe dicebat) vincere deſperans, abjectis armis terga vertunt, in fuga ſcelerati ad vnum ferè cæduntur, adeò, vt vix cladis nuncium Amurathes

habuerit

habuerit. Pari felicitate Ioannes ad Portam ferream, Vaſcapo Vngaris dicitur, inſignem illam victoriam (de qua ſæpe majores meos narraſſe, velut in ſomnio, reminiſcor) à Sciabadin Baſſa, extorſit.

Non ita multò poſt Vladiſlaus, Vngariæ Rex, Ducis fortunâ inuitatus & à Iuliano, Apoſtolicæ ſedis Legato, & à Georgio Deſpota, Mœſiæ regulo ſibi perſuaderi paſſus, pacato præſertim Vngariæ regno morte Eliſabethæ Reginæ, exercitus, quos exercitatiſſimos habebat, coëgit, recuperandarum aliquot prouinciarum causâ; ingenti ſic apparatu Hunyiadem pręmittit qui cæſis reſiſtere auſis multa oppida & pagos à Turcis recepit. Tandem ad Hæmum montem peruentum, quem nec Corvina virtus ſuperare potuit: hærentes ibi ſæpiùs cum hoſte conflixêre, & niſi rigor hyemis obſtitiſſet, in Thraciam penetrātes Vngari, Turcas maturiùs Europâ pepuliſſent.

In hac expeditione plus octies pugnatum eſt, cum Carambo præſertim, fortiſſimo Duce, qui demum in Coruini poteſtatem venerat, captus à gregario milite, cum niue deceptus in locum incidiſſet, quo ſe explicare non potuit. Deſpota Carambum quadragenis aureûm millibus à Ioanne ademit, clam fortunæ hominis miſeratus.

Eum tandem exitum hæc arma habuêre, vt Vladiſlaus, ſæuiente bruma humanæ neceſſitati aliquid tribuendum ratus, cum vniuerſo ſe exercitu receperit; maximâ quidem difficultate; quippe frequentes Turcarum inſultus iter prohibebant. Incredibile dictu, quantâ lætitiâ aduentu Regis, Buda reſonarit. Sparsâ tantorum ſucceſſuum famâ totius Europæ Legati, Veneti præcipuè, Genuenſes, Pontificij congratulatum Regi prodiêre, adhortantes, vt feliciter cæpta continuaret, non defuturas Italiæ opes, auxilia naualia, quibus Helleſpontus

leſpontus Turcis occluderetur, neque Græcos, quos ſumma vrgeret neceſſitas, antiquæ virtutis immemores fore. Acceſſit Deſpotæ repetendi Regni deſiderium, qui vtilem quoque ſibi vrgebat expeditionem. Rex, miſſis Legatis, promiſſa petit, armáque majora, quàm vnquam antea, parat.

Amurathes autem Turcarũ Rex, dum aduerſus ſe conjurare Europam videt, & in Aſia Carmani vires non mediocriter formidat, maximum ſuæ genti periculum imminere conjicit, adeoque pacis cõſilia tractanda cenſet. Legatos itaque ad Vladiſlaum mittit, qui de Carambi liberatione agerent, & diſſimulato metu, apud Deſpotam pacis mentionem callidè facerent. Neque enim dubitabat Barbarus iſte, Deſpotam (cuius liberos in captiuitate habebat) præbiturum aures illis, oblatâ præſertim priſtinæ dignitatis occaſione. Spe ſua nequaquam falſus eſt Turca: ab-

legati namque quum imperata exequuntur, non contempſit Deſpota Amurathis poſtulata; & communicato cum Coruino conſilio haud difficilè Regi perſuaſit, vt pacis conditiones admitteret. Sic vtrinque icto fœdere, Turci omnia Mœſiæ loca, eductis illinc præſidiis, Vngaris reſtituêre. Dum autem in exequendis pacis conditionibus occupantur iſti, afferuntur literæ à Græcis, qui, noui fœderis neſcij, maturare orabant, ſe quotidie paratos ſtare, piæque expeditionis ſocios continuò expectare nunciabant, abſente cumprimis Amurathe, qui, ad coërcendum Carmanum, in Aſiam trajecerat. Idem ferè claſſis Italiæ, quæ jam in Helleſponto ex compoſito nauigabat, petebat. Perlectis in Senatu literis, erubuerunt omnes; ictique fœderis pœnituit. Videns hoc Iulianus Cardinalis, Pontificius Legatus, inſigni oratione, vt erat facundiſſimus Regem & Proceres conſolatur

tur bono animo ſint, jubet, hæc omnia ſe diu præuidiſſe Corvini tamen ſapientiâ, ac authoritate, & Deſpotæ commiſeratione, ne Regno ac liberis, interceſſione ſua, infelix careret, victum profitetur. Sacramenti vincula, cum Turcis paulò antè compacta, rumpi debere, tanquam infidelium, qui aſtu ſuo fœdere Chriſtianæ ſocietatis Sanctum violaſſent; non potuiſſe Vngaros, inconſultis fratribus, Turcis pacem dare, adeóque juramenta injuſtè præſtita omni iure eſſe irrita, ſibi, vt ſacrorum perito, crederent: Properarent igitur & reparato quantocius exercitu in Thracia cum ſociis ſe vnirent, antequam tanti commiſſi erroris rumor euulgaretur.

His & aliis, excultiſſimo ſermone quem tranſcribere ſuperſedemus, Vngaros, excitauit, vt vno ore, mori ſe potiùs, quàm Chriſtianis tantæque occaſioni deeſſe, decreuerint. Cogitur extēplo exer-

citus, & præmiſſo,pro more, Ioanne Coruino, Rex Vladiſlaus cum cæteris in Thraciam proficiſcitur. In itinere Dracul, Vayvoda Valachiæ Tranſalpinæ, obviam Regi proceſſit, admiratus eius audaciam,quod exiguo admodum exercitu Turcas inuaderet, venari tantis copiis hoſtes ſolere ſubijcit, ac demum, vt ſe reciperet, ſuadet; Sed vrgentibus fatis ſalutare Vayvodæ conſilium Iuliani oris licentia haud difficilè repreſſit; Iuncto tandem, cum quatuor equitum millibus, filio, Regem dimiſit.

Amurathes auditâ Vngarorum perfidiâ, quá poteſt celeritate ex Aſia in Europam redit, ingentem multitudinem in vnum conuocat, & Vladiſlaum, ad Varnam caſtra metantem, memorabili clade cædit, vbi Rex ipſe Vngariæ inter confertiſſimos hoſtes, cum multis Chriſtianorum millibus,nunquam fœdera, (quæcunque) violanda eſſe vltimo docuêre ſpiritu. Oppe-

tiit

tiit vnà Iulianus, tanti facinoris auctor. Ferunt Amurathem, cum ſuos ab Vngaris primo impetu profligatos percepiſſent, deprompſiſſe è ſinu codicem initi ſancti fœderis, & explicando intentis in cœlum oculis. Hæc ſunt (dixiſſe ingeminans) IESV CHRISTE, fœdera quæ Chriſtiani tui mecum percuſsêre, per numen tuum ſanctè jurarunt, *perfidè* ſuum Deum abnegârunt. Nunc, Chriſte, ſi Deus es, (vt ajunt illi nóſque hallucinamur) tuas, meas etiam, injurias, te quæſo, vlciſcere: & his, qui ſanctum tuum nomen nondum agnouerunt, violatæ fidei pœnas oſtende. Corvinus cùm non paucis Valachis, quum Regem cæſum eſſe accepiſſet, deſperatis rebus, fugâ ſibi conſuluit, vt ſupereſſet, quì ſtragem Vngarorum vlciſceretur. Sequenti anno, qui erat quadrageſimus quintus ſupra milleſimum & quadringenteſimum, de nouo Rege eligendo in Vngaria agitatur, &

vno omnium ſuffragio Ladiſlaus, poſthumus Alberti filius, Rex declaratur, qui annum tunc quintum agebat. Quum Regno autem per ætatem eſſet immaturus, Corvini prudentiæ ſumma rerum committitur. Is, elapſo biennio, Amurathem noua molientem cum duobus & viginti millibus aggreſſus eſt; Verum ille, præteritarum fiduciâ victoriarum, primo impetu Vngaros ſtrauit.

Paucos poſt annos Amurathes graui morbo correptus Adrianopoli diem obiit; Cui Mahumetes filius ex Ottomanorum genere ſeptimus, in Regno ſucceſſit; Patre, Majoribúſque ſuis, animi magnitudine, ingenij feritate, conſilij calliditate, & rerum geſtarum gloriâ, longè præſtantior. Tertio ſui Regni anno Bizantium, ſeu Conſtantinopolim, bimeſtri obſidione expugnat; cuius excidij nuncio Chriſtianos valde conſternatos eſſe, quum audiuiſſet altiores longè

ſpiritus concepit; Græcorum ita Imperio elatus Vngariæ etiam meditatur ſeruitutem. Per Mœſiam profectus cum centum & quinquaginta millibus, Albam Græcam, munitiſſimam Pannoniæ Vrbem, cingit, Coruino autem, Capiſtrano, Michaële Szilagio, Coruini auunculo, Ladiſlao Caniſa, & Sebaſtiano Roſgondio, ſtrenuè defendentibus, omnem penè amiſit exercitum. Solutâ obſidione, Coruinus longò intolerabilique labore & cura defatigatus, in æſtuantem incidit febrem, quâ paucis diebus abſumptus eſt. Turcæ pòſt, præcipuâ belli mole in Italos & Perſas versâ, vt tutius Vngari bellis aſſueſcerent ciuilibus, multorum annorum quiete Pannonias beârunt.

Anno octogeſimo ſupra milleſimum & quadringenteſimum, Mathias Coruinus Vngariæ Rex, Bohemicis Auſtriacíſque rebus implicitus, ſtudium in Turcas non

mediocriter remiſit. Quibus de cauſis Veneti, & Sixtus Pont. Max. quotannem in hoc bellum ad centum millium aureorum ſummam hactenus oblatam, derogarunt; Præerat iiſdem temporibus Tranſſyluaniæ Stephanus Bathori, quam Ali-Bechus ingenti exercitu inuaſit, ope tamen Pauli Kiniſij Themesvarienſis Præfecti, incredibili ſtrage in prato panico, ad 60000. Turcarum cecidit. Anno milleſimo quingenteſimo decimo quarto, Vngaria multa inteſtina habebat mala; ſeditio namque oriebatur haud exigua inter Nobiles & vulgum, occaſione Thomæ Cardinalis, Apoſtolicæ ſedis Legati, qui vtroſque conjunxerat, vt totis viribus Turcarum coërceretur temeritas. Is cruciatum nominabat exercitum, ita enim veſtes ſignabantur, pollicitus in remiſſionem criminum poteſtate Papali, atque ſic totam ferè Vngariam in vnum coëgit exercitum. Ruſtici verò antea

tea duriter ſatis & inſolenter à nobilibus tractati; & ad ſanguinem vſque emuncti, veniſſe tempus, quo ſerui cum Dominis vitæ conditionem commutarent, jactitabant. Tandem rerum potiti, Georgium, Sekhelium Ducem, Regem deligunt; Is bipartito exercitu immaniter per vniuerſam Vngariam graſſatus, Themeſvarium obſedit; vbi à Ioanne Zapolyj, Vayvoda Tranſſyluano amiſſis, quas habebat, copiis, cum fratre Lucatio viuus capitur. Deletis ad internecionem hoſtibus, Vayvoda Georgium tortoribus excruciādum tradit. Illi nudum & catenis vinctum in equuleo conſtituunt, & coronâ candenti ex vomere conflatâ, vt Regum mos eſt, coronant, Veníſque diſſectis, profluentem ſanguinem Lucatio præbent; Deinde ad viginti agreſtes, qui in exercitu ordines duxerant, tridui inediâ maceratos, ad id crudelitatis cogunt, vt dentibus ſpirantis artus ducis

dilacerent,

dilacerent, atque digluciant. Ille mirâ conſtantiâ, neque gemitum edere, neque in miſerabili mortis genere quicquā horreſcere, vnum tantum deprecari, ne inſontem Lucatium, quem ipſe renitentem ad id bellum perduxiſſet, his cruciatibus dignum exiſtimarent. Poſtremò, laniatis membris, quum diutius grauiſſimos dolores vel immani ſpiritu ſuſtinere non poſſet, extractis viſceribus, exenterant, in fruſta ſecant, atque ahenis & verubus coctum, commedendum militibus apponunt. Eos vero, talibus ſatiatos epulis, cum Lucatio omnibus ſuppliciis dilaceratos interficiunt.

Non ita multo pòſt temporis interuallo Solymanus Turcarū Imp. contemptâ Ludouici Vngariæ Regis juuentute, belli conſilia aduerſus Pannonias tractat, & pace cum Perſis pactâ, omnem armorum vim eò dirigit. Ludouicus, tanto belli impar apparatui, continuò Princi-

pes

pes Chriſtianos per internuncios in ſubſidium ſollicitat; proprij ſaltem commodi rationibus ad opem ei præſtandam permouerentur, ne, adepto Vngariæ Regno, aditus Chriſtiani nominis hoſti in reliquas Europæ prouincias pateret, hortatur. At Solymanus, de prolixis Vngarorum Orationibus, quas in Senatu Veneto, & apud Chriſtianos Reges declamaſſent, certior, ſubriſit, &, dum illi modeſtiâ pugnant infrugeferíſque conſultationibus, paſſim detinentur, innumerâ ferè multitudine impetum facit, vt, antequam Ioannis Zapolyj Scepuſienſis Vayvodæ Tranſſyluani copias ſuis ille jungeret, ad prœlium conſerendum & neceſſariam cogeret defenſionem. Neque falſus opinione, audaces & temerarios Vngaros, ad Mohatium memorabili clade, cum Rege ſuo & præcipua nobilitate, cecidit. His actis, Ioannes Scepuſius (Comitatus iſte Zips hodie dicitur) è Tranſſyluania, cu-

jus

jus præfecturam gerebat, eductis illinc copiis, vt Regi ſuo opem ferret, ſerò in Pannoniam venit, non obſcurè Ludouici morte & magno ſuo commodo lætatus, adſpirare Regni faſtigia cœpit; quando ipſe, nullâ extante Regiâ prole, inter Proceres Vngaros eſſet clariſſimus, & propter victoriam de agreſtibus olim partam illuſtris haberetur. Itaque valido prudentique ingenio vir, erectus in ſpem potiundi regni, ſingulos Proceres diligenter prehenſat, obteſtatúrque ne proximis Comitiis Hungarici nominis decus prodere vellent, ſi vetuſtiſſimæ dignitatis imperium ad externæ atque inimicæ gentis nomen traduci paterentur, debere Vngaros probè meminiſſe, quantas clades ſuperioribus acceperint temporibus, quùm externi ſanguinis Reges ſibi accerſerent, & aduerſus Turcas inauſpicata eorum ſequerentur ſigna; ſatis præclaro documento eſſe poſſe elapſorum temporum
rum

cum calamitates, quas vel Sigiſmundus Bohemus, vel ſuperior Ladiſlaus Sarmata ad Nicopolim ſemel, atque iterum ad Columbatium, & ad Varnam demum infeliciter cum hoſte barbaro dimicantes, Pannoniis importarint; quando ea detrimenta, quæ vel longâ Ladiſlaï ignauiâ, vel hac dudum infelicis filij temeritate euenerint, ſubijcimus, memorare diſpudeat: Sed quo militaris diſciplina gloriáque Vngaricæ virtutis penè tota interiiſſe credi poſſit. Supereſſe profectò Proceres antiqui ſanguinis Pannonici, adeóque Imperio digniſſimæ ſtirpis, qui generoſos ſpiritus gerant, atque animos reſtituendæ Publicæ dignitatis, & tuendo Regno pares, qui in hoc publico luctu conſilia fortia, atque arma expedita inuictis animis proferant. Inter quos (aiebat) vſque adeò demiſſi vel hebetis ingenij numerati nolim, vel, ſi me nonnulli clariores honore natalium at-

que

que opibus antecedere videantur, vt me regendo Regno, adminiſtran. doque bello quemquam virtute meliorem fore confitear.

Multis id genus perſuaſionibus ita Proceres demeretur, vt, poſtquam Ludouici cadauer, Cetriſchi armigeri indicio, repertum, & è Mohatiana palude Albam Regalem fuiſſet relatum, celebratis exequiis, magno omnium applauſu Regni Vngariæ obtinuerit habenas. Eius præcipui amici erant Stephanus Verbetius, Paulus Artandus, Georgius Peſchenius, Nicolaus Gleiſſa & Ianus Docia. Interea Ferdinandus in Bohemia, cum nonnullis Vngariæ regulis, comitiis erat occupatus. Is ex veteri controuerſia, quæ inter Matthiã Corvinum Vngariæ Regem & Federicum Cæſarem, proauum, agitata fuerat, ſpecioſa hæreditatis jura proferebat, ducta ſcilicet à Ladiſlai morte, qui Pragæ in ipſa nuptiarum celebritate, veneno ſublatus,

ambitione

ambitione Georgij Poggibraccij, ferebatur; veniſſe tempus, quo Ferdinandus Bohemiæ auctus Regno, & Caroli V. fratris opibus ſubnixus, nec oblitus ſui iuris, Pannoniam non iniquâ ratione repeteret, Auſtriaco ſanguini, adeoque ſibi, ab Alberti Principis memoria, debitam. Verùm Vngari ſemper ſucceſſionis hæreditariæ nomẽ execrati, antequam ritè proferrentur, hæc omnia facilè confutabant; ipſos etiam adhuc in Aſia multum habere iuris, à Scythis auitâ gente deriuati, pudere tamen aliquot ſeculis extinctum inſanâ imperandi libidine repetere, ſatis facetè reſpondebant; meritóque ob id ſuſpectos ſe Reges habuiſſe, qui tantopere multis occupandis ſtuduerint Regnis. Ferdinandum ſequebantur non pauci Vngarorum, qui Ioannis inuidentes fortunæ, collatis viribus contra eum arma capiunt; Erant autem præcipui Patriæ ſeruitutis auctores, Stephanus Bathori,

Valentius

Valentius Turocius, Stephanus Maylatus, Ianus Sala, Gaſpar Seredius, Balthaſar Pamphilus & Ferentius Gnarus; his acceſſit Paulus Bachitius genere Triballus, vir eximiè bello fortis. Iunctis tandem Ferdinandi copiis, rectà Budam contendunt, Ioannes Rex iſtorum aduentu grauiter permotus, vtpote qui, nutante adhuc nouo imperio, nullis non circumueniebatur difficultatibus, & nequaquam numero longè ſuperiorem Budæ hoſtem expectandum ſtatuit, hortatúrque Duces, vt cedenti, & aduerſis fortunæ flatibus vela dare coacto, adeſſe vellent. Eius diſceſſu cognito, Ferdinandus ſine vulnere regiâ potitur, mox inſtantibus eius Ducibus Ioannis exercitus cedit fugâtque. Sic obſtante nemine Regni adminiſtros deligit: Hi fuêre Stephanus Bathori, qui cum ſumma poteſtate Prorex eſt creatus, cui collega addebatur Paulus Strigonienſis Antiſtes, Berethſaſſium au-

tem Epiſtolarum magiſtrum renũciauit, Alexin Turſonem ærario præfecit. Ioannes in exilium actus Hieronymum Laſchum, virum inter Sarmatas ab illuſtri nobilitate, eruditæque virtutis nomine clariſſimum, adit.

Is tanti hoſpitis occaſione lætus nihil antiquius habuit, quàm vt Regem in eas amiſſi regni calamitates præcipitatum accuratiſſimè recrearet, polliceretúrque ei, in ſpem recuperandæ dignitatis, opes ſuas ac ingenium in omni actione humanarum rerum valdè mirificum. Sigiſmundus Rex Poloniæ, tametſi Laſchi erga regem exulem hoſpitalitatis liberalitatíſque fuerit fautor & promotor; amicitiam tamen adflicti hominis diſſimulare videbatur.

Quum verò integrum ferè menſem colloquendo traxiſſent, Laſchus excelſo ſolertique ingenio grauiſſimarum rerum conſilia agitare & finire ſolitus, poſtremò ad

id deſcendit, vt, ab vno tantum Solymano maturam opem adflictis & perditis rebus ſperandum, cenſeret, arbitraretúrque generoſiſſimũ eundem & longè maximum regem, ſupplicis & eiecti preces minime neglecturum, ſi, ipſo miſerante ſubleuantéque, reſtitutus foret, tanto beneficio ſe clientem factum ex authoritate Othomanici nominis regnaturum profiteretur. Intelligebat ſiquidem Laſchus à tanto clariſſimíque animi Imperatore, non Regna, quæ illi abundè ſupereſſent, nec facilè enumerari poſſent, poſtquam, magnam terrarum orbis partem imperio complecteretur, ſed magnificentiſſimæ laudis gloriam peti, qua pro inſita Orientis Regum animis ambitione, eum impensè oblectari didicerat. Hoc erat conſilium, vt vſu apparuit, Ioanni maxime ſalutare & honeſtum ſi expulſi atque exulantis cõditionem reſpiceres. Deliberato ita negocio, Laſchus, qui (vt decreti

erat

erat author) famam tantæque rei laudem vel maximè arrogabat, ſuâ cumprimis confiſus aſtutiâ, & Hebraymi primi Veſirij Aulæ Conſtantinopolitanæ, aliorumque qui apud Imperatorem gratiâ valebant, amicitiâ fretus, quam anteà Oratoris munere ſanctus, cum illis contraxerat, Legatione ſuſceptâ Bizantium contendit. Sigiſmundum non modo euntem non detentaſſe, ſed iuuiſſe etiam diplomate, ferunt. Itaque Polonus emenſo itinere, precioſis Luſtibeium & Hebraïmum ſtatim corrupit muneribus, vt fideliter cauſam ſuam apud Solymanum agerent. Petebat Laſchus, vt Ioannes Ferdinandi Principis iniuriâ, & quorumdam Vngarorum perfidia Regno pulſus, Pannoniæ Rex & Othomanici nominis beneficiarius appellaretur; ideóque Turcic s armis in Regnum reduceretur, ſicuti proprium eſſet Othomanicæ ditionis, poſtquam iure belli, adjudicante fortuna, ab

ea inſigni victoria Solymanus felici dextra de hoſtibus ſibi peperiſſet, Ioannem nunquam tanti beneficij memoriam aboliturum. Imperator haud difficilè conſilio Veſirij & Baſſarum inductus, Ioannis preces admiſit, polliciúſque ex vſu nouæ victoriæ eà conceſſurum quę poſtularet, modò fidem tueretur, & ingrati nomen maximè horrendum exiſtimaret.

Ferdinandus interea, ad confirmationem noui Regni, Oberdanſium Vngarum ad Solymannum miſit, vt amicitiam eius ambiret, à quo tale accepit reſponſum: Alienum eſſe à Majorum inſtitutis, eos in gratiam amicitiámque recipere, qui Othomanico nomini injurias intuliſſent. Proinde Ferdinandum impudenter facere, quòd alieni iuris Regnum inuaſiſſet, idque retinere confideret, quando eius vetera jura planè inania quæ oſtentaret, recenti ſuà victorià, Martéque iudice, obliterata antiquatáq; fuerint.

His de cauſis eum toto induciarum ac amicitiæ munere indignum videri, ſéque eo eſſe animo, vt contumeliam, quam acceperit, probè vindicandam ducat, indictóque bello rurſus ſibi Pannoniam omnino reperendam; tantis autem ſe copiis eam expeditionem ſuſceptu- rum, vt Ferdinandum vel intra Noricos fines ſit inuaſurus; Proinde ei omnem belli cladem pro induciis, atque amicitia denunciaret, properéque Bizantio excedere maturaret.

Adulto vere, Solymanus, vt dixerat, exequitur, ingenti multitudine coactâ in Vngariam proficiſcitur. Ioannes Rex, quantò maximè potuit honeſtiſſimo Vngarorum Procerum comitatu ſeptus, ipſo Laſcho comite, ad Solymanum prope Belgradum venit, vt honoris causâ in gratiam clientelámque ſuſcipientem præſens agnoſceret, tutelarem eius dextram exoſcularetur, atque eum, vt promiſſa præ-

ſtaret, gratias agendo veneraretur. Ille graui fronte, ſed amico obtutu, parum ſe è pulujno commouens, dextram ſuam fide virtutéque præſtan em, ideóque ſemper valituram apud eos, quos in amicitiam reciperet, porrexit, teſtatus nihil ſibi optatiu & majus à maximo Numine poſſe tribui, quam vt miſeros, ab ipſius præſertim hoſtibus), iniqua & indigna perpeſſos ſubleuare poſſet. Bono igitur animh eſſe vellet, cuncta enim, quæ vltore gladio in bello de hoſtibus pararet, liberali animi decreto ei protinus eſſe conceſſurum; Quæ omnia ſequenti confirmabat iuramento: *Donator donorum & gratiarum, ille ſummus creator Deus, qui eſt magnus & potens, & per conceſſionem Diuinæ prouidentiæ, qui vtriuſque Paradiſi eſt Sultanus, & omnium regnorum iſtius machinæ gubernator, & alterius hæmiſpherij caput, & exercituum principalis Rector; qui eſt noſter Propheta Machumetus, ſuper*

quem

quem Prophetum ſit ſemper beneficatio & charitas diuina excelſæ clementiæ, per cuius bonam gratiam, & ſuorum quatuor familiarium doctorum & magnorum Secretariorum Ebrobekiz, Vrcer, Oſrean & Allydo, quibus benignus & excelſus Deus, per ſuam infinitam clementiam, ſit ſemper lætus & contentus, & omnipotentis Dei & omnium Sanctorum & beatorum ſpirituum ipſum laudantium: quorum conceſſione & gratia Ego Sultan Solymanus Schyak, Cæſar Cæſarum, Dei gratia glorioſus, magnus & inuictiſſimus Imperator Conſtantinopolitanus, Rex regum, dator coronarum, vmbraculum Dei ſuper terram, dominator magni Maris, & inferioris Europæ, Syriæ, Arabiæ, Iudææ, Cananææ, & Galilææ, & Phonices, Alexandriæ & Ægypti, & magni Chayris, & Æthiopiæ Mediæ & Lybiæ, & Lanchæ, Indici & rubri maris, & Regni Hieroſolymitani, Samariæ & Maris Tyberiadis & Damaſci & Alepij, & magnæ Antiochiæ, Meſopotamiæ Chaldææ &

magnæ Babyloniæ cum majore & minore Armeniæ, Parthiæ, Perſiæ, Hyberniæ-Georgianæ, Maris Caſpij, Trapezantiæ, Tauriſiæ, Cappadociæ, Cæſareæ, Pamphiliæ, Ciliciæ & Tharſis, Caramaniæ, Amaſiæ Paphlagoniæ, Lydiæ, Phrygiæ, Bythiniæ, & magnæ Ciuitatis Nicææ, Nicomediæ, magnæ Calcedoniæ, totius magnæ Anatoliæ, Græciæ, Thraciæ, & magnæ Romaniæ, Macedoniæ, Theſſaliæ, Peloponnenſi, Corinthi, Cherſoneſi, Albaniæ, Bonnæ, Bulgariæ Valachiæ, Moldauiæ Scythiæ & Tartariæ, & multarum aliarum infinitarum Prouinciarum Regnorum, & Imperiorum acquiſitorum vi & armis, & virtute bellica, noſtræ, fulminantis frameæ à noſtris prædeceſſoribus, Imperatore Machumete Schyak & à filio ſuo Sultano Selymo Schyak noſtro beneficato Patre, ad requiem, quorum immenſa & excell. clementia & beatificatio Diuina, cum animabus & Spiritibus ipſorum in ſempiternum ſit: Vobis, Sereniſſimo Ioanni, Dei gratia

Regi

Regi Hungariæ, Croatiæ, Dalmatiæ, Morauiæ, &c.

Ego præfatus Sultanus Solymanus Schyak Imperator Turcarum inuictiſſimus, iuro ad omnipotentiam Dei altiſſimi omnipotentis, ſanctitatem ſplendorem, & bonitatem diuinitatis ſuæ, ad firmamentum Cœli, Solem, Lunam, Stellas, Terram & ſuperficiem terræ, ac ad Regnum & ſanctiſsimum Machometum, Proauum, Auum, Patrem, Matrem ac Panem meum, gladium, animam & vitam meam ac omniũ Bozermanorum circumciſorum ſalutem quod te, fratrem meum iuratum, Ioannem videlicet Regem quaque neceſſitate non derelinquam ſi etiam omnia Imperia Regna, & poteſtates meæ vniuerſa peſſundarentur, annihilarenturque, ac remanerem ſolus, vel vnico ſaltem circumciſo Bozorman vocato, ſiue cum duobus, tribus aut ad ſummum quatuor perſonis & ſaltem cum iſtis obliger & tenear te requirere & perquirere, tibique ea dicam; Hic adſum ego paratus, ſi-

quid me velis, præſto ſum ad omnia tibi gratificari; & ſi promiſſioni meæ non ſatisfacerem: ex tunc ira ſummi Dei, & eius juſtitia, ſupra meum veniat caput, & me totum diſperdat: & quicquid corpus meum attingeret, altiſsimus Deus omnia in petram conuertat, ac firmamentum terræ me ambulantem non ſufferat; ſed terra ipſa in duas partes diuidatur, ac me totum corpore & animâ meâ dehiſcat atque abſorbeat. Atque hoc iuramentum omnibus Tranſſyluaniæ Principibus Turci per literas miſerunt, & vocant *Athname*; quod amplius facere hodie inficias eunt. His ita geſtis recta Budam verſus contendunt, quam exiguo negocio recepêre; quòd Germani visò ingenti bellico apparatu, ſtatim in arcem, deſertâ ciuitate; ad Nadasdium confugerint, cúmque deditioni cõtradicentem in vincula conijcientes, ſuæ conditione ſalutis, cuncta illis commiſerint. Captâ ſic vrbe & arce, Imperator Regem ſedi ſuæ

ſuæ reſtituit; ipſe, ſtratis in itinere reſiſtere auſis, Viennam exercitus ducit, quam per menſem nullo non armorum genere oppugnat. Virtute tamen præſidij, Comitis præſertim Nicolai à Salmis, Vrbs iſta ſtrenuè defenſa, ſeruatur. Appropinquante hyeme, Solymanus ſe recipiens, Ioannem Regem cum ſuis Proceribus accerſit. Diadema regium, & alia ornamenta regalia, proferri iubet, inque ſpectabili ac ſolemni conſeſſu Turcarum illi dixiſſe fertur: Amice & frater, quandoquidem in tua calamitate ad me & meam opem, poſt Deum confugere voluiſti, ego quoque intellectâ juſtâ tuâ causâ, in patrocinium meum ſuſceperim; promouerunt conatus vtriuſque noſtrûm Deo, ea, quæ pro te agenda ſuſceperam, peracta ſunt; en in manus tuas & poteſtatem tuam arcem, Budámque vrbem & totum Vngariæ Regnum hodie trado, & te Regem Hungariæ declaro & pronun-

cio: Vobis autem Proceres Vngari denuncio, vt huic Regi veſtro ſitis obedientes, eiúſque imperio fideliter obſequamini; Id ſi feceritis, habebitis me amicum. Sin minus, mea framea ſæuiet in vos. Tu verò, amice Rex, Dei & beneficiorum meorum memor eſto. Hîc habes diadema, hic reliqua omnia ornamenta regia, quibus & tu, & hæredes tui, feliciter in futurum vtantur! His dictis, Aloiſium Grithi, Andreæ Venetiarum Ducis filium, cum aliquot equitum alis in ſubſidiū Regis relinquit, ipſe cum cæteris opimâ prædâ domum reuertitur. Ferdinandus cognito Turcarum diſceſſu, cum adhærentibus Vngaris reſumunt animos, & in ipſa regia Ioannem, cum Gritho, Emerico Cibac, Gregorio Peſthieny, Stephano Verbets, Simone literato, Athinay, obſident; Thomæ autem Nadaſdy, Ioannis Zerechis, Franciſci Capolnai, Cazzon Vayvodæ, & Ioannis Banffi, aliorumque con-

tinuâ fide, VVilhelmus Baro à Rogendorff, ſupremus Germanorum Capitaneus, perterritus, obſidionem ſoluit. Multo, tempeſtate iſtâ, Vngari ſanguine inuicem graſſabantur, prout occaſio immanitati fauere, & exitium minari aduerſæ videbatur parti. Tandē inter vtroſque Reges, exterorum Principum interceſſione, in has conuentum eſt conditiones: Vt Ioannes ſuperſtes ad obitum vſque regno potiretur; Poſt eius obitum Ferdinandus, aut vnus ex filiis ſuis, ſuccederet; Si Ioannes filium poſt ſe relinqueret, illi omnes arces paternas, vt hæres eius, vnà cum Tranſſyluania, redderet. Vim paci prædictæ fecit noua Ferdinandi machinatio, qui Balthaſare Bamfio de Thalloez in Tranſſyluaniæ Vayvodam deſignato, hoſtiliter Prouinciam iſtam aggredi mandat; Forte, quod Grithum auro corruptum ſuis fauere partibus intempeſtiuus intellexiſſet. Acceptâ re, Ioannes, per Go-

thardum

chardum Cun, Banfij conatus repreſſit. Dum porro Rex Tranſſyluaniæ rebus incumbit, iterum Ferdinandus duplici exercitu impetum facere jubet: Ioannem Cocianerum in Sclauonia, Leonhardum Velſch in Sepuſio, arma circumferre mittit. Ioannes Rex Fratri Georgio Martinuſio Heremitæ, Petro Pereny & Franciſco Bebec reſiſtendi illis dat negocium; qui aliquandiu prope ciuitatem Eperies hoſtes obſidione cinxêre, demûm incepta deſerti egregiæ militiæ viros in fuga amiſerunt, inter quos Nicolaus Bathori de Gagy, Ioannes Kukedi, & Ioannes Cornis periere. Denuo ferunt ambos Reges reconciliatos eſſe, & occultè cùm Moldauiæ & Valachiæ Principibus in Solymanum conjuraſſe; quod, vt vix probabile, ita neque ego facilè crediderim. Rex nullo non aduerſitatũ genere exercitatus, quietíque jam ſtudioſus de matrimonio ineundo conſultat, miſſiſque

Legatis,

Legatis, Stephano Broderico & Verbeiſio, Iſabellam, Sigiſmundi regis Poloniæ filiam, in conjugem petit, & obtinet. Sponſa à Broderico, Petro Pereny, & Stephano Homonnai, in Vngaria Albam regiam; ſplendidiſſimo comitatu deducta, ceremonias nuptiales & inaugurationem ibi regalem accepit.

Dum hic inſtrumenta intonant muſica, Mars in Tranſſyluania (Stephano Maylath & Emerico Cibac prouinciæ Præfectis authoribus) de nouo Ioanni faceſſit negocium. Etenim imperatā pecuniam Tranſuani recuſantes Regi ſe oppoſuerant. Quapropter relictâ Budæ grauidâ Reginâ, ad compeſcendam hominum perfidiam, juſto exercitu illuc proficiſcitur, vbi ſtatim Prouinciales, quos facti pœnituit, in gratiam recipiuntur. Maylatus autem in arce Fagaras (quâ munitior in Tranſſyluania non eſt) obſeſſus, Ferdinandi expectat auxi-

liares

liares copias, quas per Nadasdium affinem iſte promiſerat. Inter oppugnandum Ioannes Rex in oppido Szaſſebes grauiſſimo decumbit morbo, læto tamen ibidem nuncio felicis Reginæ partûs recreatus, liberalius in conuiuio indulget mero (alij volunt propter ſubortam inter duos Nobiles controuerſiam irâ correptum fuiſſe) in febrem incidit malignam, quâ paucos poſt dies extinctus eſt. Quum vitæ finem aduenisse conſpiceret, filium teſtamento reliquit hæredẽ; Georgium Martinuſium, Varadinenſem Antiſtitem, propter eximiam fidem, & Petrum Vicchium, ſanguine ſibi conjunctum Tutores inſtituit, obteſtatúſque eſt ſingulos Proceres, per antiquum Vngarici nominis decus, vt ſui ſanguinis potius, quàm externæ atque inimicæ gentis Regem in Pannonia regnare paterentur; Futurum enim eſſe, vt Solymannus Regni tutelam ſuſciperet, ſi ad eum Legati properè

mitte

mitterentur; qui puerum ex eius authoritate regnaturum, paterna conditione reciperent. Suppreſſa eſt tantiſper mors Regis, dum cum Maylatho tranſigitur. Antequam è Tranſſyluania mouerent Vngari, Legationem ad Solymanum decernunt, quam Ioannes Exechius & Stephanus Verbetſius, fideliter peregêre. Ferdinandus, interim bellum parans, Nicolaum Salmam ad Reginam mittit, qui tabulas nouiſſimi fœderis proferat, hortetur eam, vt regno decedat, quod recenti pactione alieni iuris eſſet factum; Conceſſurum puero Ferdinandum Scepuſianam prouinciam & ipſi quoque Reginæ peramplos reditus, & quicquid in dotale nomen obueniret. Quod ſi ea legitimi fœderis obliuiſci vellet, ei tum opportunè denunciaret; non defutura Auſtriacis arma, quibus regnum ſuum repeterent. Budæ Salma ægre impetrauit à Tutoribus, Regnique adminiſtris, vt ad Reginam admitte

admitteretur; cúmque multo verborum honore mandata expoſuiſſet, reſpondit illa: Eam eſſe fortunam ſexùs, ac ætatis ſuæ, vt orbata rege conjuge, ac diuturnis animi doloribus perturbata, neque ſuſcipere neque terminare conſilium queat, quum in re longe grauiſſima Sigiſmundum Patrem omnino conſulendum exiſtimet; quod ſi ſpacium ac idoneum tempus denegetur, atque armis agendum putent, Egregiam certè laudem non ferent, inquit, Cæſar & Ferdinandus, ſi viduam fletu conſumptam, & vagientem in cunis puerum oppugnatum aduenerint. Ferdinandus re percepta illico Leonardũ Velſch copiis abunde inſtructum in Vngariam mittit, qui arces expugnando & hoſtes profligando, ſuis illam addiceret partibus.

Interea Solymanus, qui ius ſuum ac beneficium defendere, ſuæ dignitatis eſſe ſtatuebat, immenſæ ſibi gloriæ futurum rebatur, ſi, oſtentato

tato pietatis ſtudio, viduam puppillúmque in tanta calamitate protegeret. Itaque aduocatis Legatis, tribúſque purpuratis aſſiſtentibus, ſe eo animo Ioanni regnum conceſſiſſe dixit, vt ad liberos eius tranſmitteretur, tamdiúque poſteri eius ſtirpis Pannoniæ regno potirentur, quamdiu accepti beneficij memoriam retinerent. Proinde ad declarandam liberalitatis ſuæ conſtantiam ſe arma ſumpturum, daturúmque operam, ne Germani hoſtes illati belli exitu lætarentur, tradítque demũ Legatis dona, puero Regi deferenda, firmata amicitiæ, ſuſceptæque tutelæ inſignia, purpuream auro intexto regalis cultûs togam, & clypeum elaborato vmbone rotundum, ferream item clauam aureo manubrio, & incuruum gemmatâ vaginâ gladiũ. Exinde Vſtrepho Mahometique præfectis, ſeueriſſimè perſcripſit, vt extemplo eductis copiis Reginæ opem ferre maturarent, nec vlla aduerſæ

aduerſæ hyemis excuſatione vterentur: quod ſi tarditate aut negligentiâ detrimentum acciperetur, ipſos continuò capite pœnas daturos. Iiſdem temporibus Ferdinandi Legati Bizantium venerunt, vt eadem conditione, qua Ioannes obtinuerat, Vngariæ Regnum à Solymano peterent; verùm in carcerem conjecti reſponſum habebant: Vltimo ſupplicio dignos eſſe, qui, ludificantes Majeſtatem Imperatoris, gratiam flagitarent, quum interim impudenter in Pannonia Reginam hoſtiliter aggrederentur. Germani de Turcarum aduentu decretoque certiores, receptui canunt. Simulac iſtos diſceſſiſſe accipiunt, iterum, Rochandulpho Duce, redeunt, & Budam vſque penetrant, eámque graui cingunt obſidione. Quo nuncio iratus Solymanus expeditionem longè maximam aduerſus factioſos parat Vngaros, & præmiſſis vicinis præfectis (qui obſidione preſſos liberarent) cum innumeris ferè
copiis

copiis cito ſubſequitur itinere; Antequam autem Vngariæ attingeret ille fines, inſignis accipit victoriæ nuncium, quâ Rochandulphus cum 20000. Hungarorum & Germanorum ad internecionem ferè cæſus fuerat. Remiſſiori nihilominus gradu quintis caſtris Budam peruenit. Nam tantâ celeritate contenderat, vt Prætorianæ cohortes, præter eorum diſciplinæ conſuetudinem, feſtinantis equitatûs curſum adæquare cogerentur. Cupiebat enim intereſſe prælio, neque Auguſto menſe volebat excludi, qui menſium omnium, occulto quodam auſpicio, ſibique cumprimis & Selymo Patri militiæ feliciſſimus extitiſſet. Conſedit autem in aduersâ ad Budam veterem regione, offenſus odore cadauerum. Mox Regi puero (quem Stephanum Vngari nominarant) dona miſit, phaleratos equos tres eximiæ pulchritudinis, frænis habeníſque aureis, & gemmatis ephippiis exor-

natos,

natos, totidémque ex auro textili regales veſtes; ſimiliter pro cuiuſvis dignitate Vngaris Proceribus precioſa munera dare iuſſit.

Legati humaniter à Regina poſtulàrunt, vt puerum Regem cum Proceribus in caſtra mittere omniquedubitatione depoſitâ, cuncta ſibi ac filio ſecunda atque felicia ſperare vellet; Eâ enim magnitudine animi eſſe Solymanum, qui Reges omnes non modò potentiâ fortunáque, ſed pietate ac iuſtitiâ ſuperet, vt puerum, quem ſemel paterno iure tutelâ ſuâ ac amicitiâ dignum omnino defendendum ſuſceperit, comprobante demum victoriâ, non modò conſeruatum velit, ſed amplioribus antiqui Regni ſpaciis adaugendum exiſtimet. Proinde cupere regiam prolem coram intueri, agnoſceréque paternam indolem, infantémque de manu amplexandum tradere liberis ſuis, vt benè auſpicatis renouatæ tutelæ initiis perpetuo tenore cum

Ottomannis

Ottomannis firmæ adeoque immortalis amicitiæ fundamenta iacerentur: ipſam verò filiæ nuriſque loco incolumi dignitate ſemper habiturum, quod eam autem ſecus ac amanter cuperet, non inuiſeret; prohiberi eo humanitatis officio antiquis Ottomanorum inſtitutis, quibus principes ſuos ad alienas mulieres in alienis tectis intrare vetuiſſent. Porro Solymanum non vſque adeò temperantiæ ac honeſti decoris eſſe oblitum, vt ſocij beneuolentiſſimique Regis filiam eandémque beneficiarij ac amici Regis nuper vxorem, & in ſimilem regiæ fortunæ Maieſtatem creſcentis pueri matrem ætate formáque florentem, in caſtra atque adeò in intimum tabernaculum admitti pateretur, ne integrum eius pudicitiæ nomen, quod in Reginis vnicâ & perilluſtri curâ eſſet tuendum, vllis inuolueret ſuſpicionibus. Ad ea tamen Regina, non occulto metu teneros ſenſus in materno

terno affectu facilè confundente, perplexe admodum reſpondit, ſed monente demum obteſtantéque Georgio Martinuſio, ne dubitantis ſuſpicionem leui & nihil profuturâ cunctatione Barbarorum animis inijceret, puerum regalibus crepundiis exornatum, carpentóque aurato impoſitum, cum nutrice lectiſſimíſque matronis in caſtra miſit comitantibus cunctis ferè Proceribus, quibus dona Legati detulerant.

Excepêre aduentantem progreſſæ aliquantum è caſtris honoris causâ ornatiſſimæ turmæ equitum; illatum in tabernaculum Solymanus humaniter inſpexit, perblande cum nutrice collocutus; liberos ſuos, qui aderant, complecti atque exoſculari latè vagientem iuſſit, certo amoris pignore obligantes, quem beneficiarium atq; amicum, quum pariter adoleſceret, eſſent habituri. Cæterum Solymanus, quũ Hungari Proceres cum Purpuratis prandérent,

pranderent, certos Duces, quibus antea negocium dederat per ſimulationem viſendæ vrbis, immiſſis cohortibus Sabatinam portam occupare juſſit, atque adeò tacitè ac diſſimulanter, vt nec cuſtos ſatis otioſus, commeantis turbæ ſpectator, portæ aditum alienæ poteſtatis factum ſentiret. Occupatis celeriter plateis, foroque & nuſquam tumultu edito Prætorianorum præfectus per regiones pronunciare juſſit, vt Budenſes, omni timore depoſito, limine ſe continerent maturéque, ſi vitam ac libertatem ac denique fortunas incolumes vellent, arma traderent. Tum verò Solymanus, vbi renunciatum eſt, pacato & nihil reſiſtente populo, vrbem in manu eſſe puerum, quanquam nox incumberet, ad Reginam remiſit, retentis apud ſe Proceribus. At Regina, vbi vrbem ſerio, doloque occupatam, & Proceres retentos in caſtris videt, metu & dolore perturbata, ſupplices li-

bellos ad Solymanum perſcribit. Orat vt fidei datæ, quam recentibus mandatis prolixè ac humanite confirmarit, & denique priſtinæ ſuæ lenitatis & clementiæ obliuiſci nolit: ideoque Proceres, ob egregiam fidem fortémque operã de ſe, Turcicoque nomine benemeritos, incolumes remittat. Exinde per quatuor dies de Pannoniæ Regno apud Solymanum, pugnantibus ſententiis, diſputatum ferunt: Mahumetes & Cuſtrephy parum inter ſe diuerſi, puerum regiæ prolis, Principéſque gentis, Bizantium abducendos cenſebant, committendam autem Budam Præfecto, non tam acri, quàm moderato prudentique ingenio, qui molliter imperando indulgendóque Hungarorum animos ſeruitutis metu liberaret, conſeruatiſque omnium fortunis paulatim ferendo iugo aſſuefaceret.

At Roſtanes, ingenio melior, atque eò quòd, vti gener, firmiore gratiâ

gratiâ valebat, ab omni vel cupiditatis vel adulationis ſuſpicione remotus, totius deliberationis ſummam ad decus reuocabat, quum diceret, longè maximo & ſummo Principi, qui nullo vnquam dedecore nominis famam oneraſſet, nihil omnino eſſe turpius, quàm contra jus æquum ſuſceptæ antea tutelæ ac defenſionis, partâ demum victoriâ, fœminæ pariter ac infanti puero fidem fefelliſſe. Ex aduerſo Mahometes Belgradienſis, qui Iahaoglis vocabatur, nunquam niſi peracerbus in noſtrum nomen & maxime truculentus leniora conſilia vehementer improbabat.

Is rogatus ſententiam, ſcio, inquit, Solymane, quum poſtremo loco ſententia dicitur, diſſidentis nomen inuidiæ expoſitum videri, neque proinde fieri poſſe, quum plane diſſentiam, quin oratio mea veſtris auribus ac animis grauis moleſtáque ſit, ſed non recuſo vel arrogantis nomen, modò maligni-

tatis & ignorantiæ notam deuitem, dum ea recolo, quæ ex vſu præſentium rerum tuis commodis tuæque amplitudini mirificè conducant. Concedi enim aliquid ætati meæ, & , ſi dicere liceat, etiam rebus geſtis, jure poſtulo: quum bellando dimicandoque in Pannonia ſenex factus, ea de ſtatu atque opibùs huius Regni, ingeniiſque hominum didicerim , quæ prolata in medium magno vſu eſſe poſſint, vt de hac re quæ decreti pœnitentiam non recipit, rectiſſimè ſtatuatis. Quinquies per hos viginti annos in Pannoniam armatus veniſti, & ego non obſcurus omnino, aut Dux aut miles; omnibus non modo bellis, ſed prœliis interfui, puto, vt vindicares injurias, imperij fines proferres , & denique optimà pace potitêre: quæ certa eſſe non poteſt niſi armis & victoriâ paretur. Itaque Belgradum, infame domicilium, aſylúmque latronum immanium, & quondam funeſtis noſtrorum co-

natibus

natibus nobilitatum, fortiter expugnaſti, quum inde Hungari per inducias, Patre tuo Parthicis occupato bellis, Mœſorum & Illyricorum fines impunè vexauiſſent. Eoſdem porro quintum poſt annum quòd nefariâ crudelitate, & deterrimo ſupplicij genere Legatos noſtros interfecerint, vnâ acie cum Rege ipſo trucidaſti, Budáque potitus, vt præclarum magnitudinis animi tui, vel remotiſſimis noſtri nominis hoſtibus, ſpecimen daretur, delegiſti ex reliquiis profligatæ gentis, quem diademate protinus ornares, non regio quidem ortum ſanguine, & nullo hercle alio merito cognitum, quàm quòd dudum & priuatus & publicus hoſtis extiterat, cùm validiſſimas contra te è Tranſſyluania educens copias, fratrem, virum ipſo fortiorem, noſtro gladio interfectum amiſiſſet. Exortus eſt demum nouus hoſtis Rex Noricus, qui Hungarum beneficio tuo regnantem expelleret, atque ita

aduerſus Germanos tertium bellum ſuſcepiſti, vſque adeò vehemens, vt reducto ſtatim Rege, fugatiſque hoſtibus, non modò Viennæ mœnibus, ſed interiori etiam Germaniæ terrorem intuleris; At, biennio vix dum exacto, idem Rex neque pacem pati, neque bellum ferre ſolitus, quum præſentibus Caroli, fratris opibus inniteretur, Budámque noſtro defendente præſidio fruſtra oppugnaſſet, te iterum exciuit, injurias cædibus ac incendiis vindicantem, quòd tuæ dignitatis eſſe ſtatuebas, eum tueri armis, quem inuſitatâ liberalitate Regem effeceras, maximéque optares, cum duobus fratribus, de Occidentis Imperio, nobili pugnâ editâ, decertare. Sed illi, cum vrendo vaſtandóque auita eorum regna percurreres, aduentantis fremitum non tulerunt: ſecutáque demum pax eſt inter Hungarum & Germanum, te indulgente, probantéque, quum aduerſus Perſas ire properares.

properares. Sed eam Germanus ita fregit, vt niſi ego, ad Exechium deleto ingenti eius exercitu, perfidiam opportunè vindicaſſem, tu omnino Babylone accerſendus viderêre: ſicuti modò Bizantio, multis itinerum ſuperatis incommodis aduòlaſti, vt nobis maturam ferres opem, daréſque ſupremam operam, ſicuti planè ſperauerim, vt, rebus firmiſſimè in Pannonia conſtitutis, tot laborum ac ſumptuum incommoda, pro alieno commodo, quinquies ſuſcepta finiantur; niſi, vti video aliquos optare, nunquam tibi tutelam hanc pupilli & viduæ cenſes dimittendam, infiniti ſcilicet laboris ac periculi plenam, cui par precium non ſit, ea gloriæ ſpecies, quæ animo tuo excelſo honeſtique ſemper decoris auido, ab his, vti arbitror, nimis ſapientibus obtenditur: Verùm hanc, vti planè rudis, ſapientiam gloriâ redundantem nó intelligo, quæ in ipſo curſu victoriæ neruos elidit, nec in caſtris à

peritis imperatoribus vnquam admittitur: quò fit, vt te Majoribus tuis, qui duodeviginti Regna in hoc imperium contulerunt, quum feliciorem omnino cupiam, ſapientiorem eſſe nolim: quid enim inſipientius dici poteſt, quàm ſemper eſſe ſtultum? hoc eſt, aliena curantem, ſua omnia ſalutem opes, dignitatem, in diſcrimen ſæpiſſime deuocare? Satis feciſti, vti arbitror, & cumulatè quidem, officio pietatis & fidei, atque etiam gloriæ, ſi ea potius manſuetudine, clementiâ, lenitate, quàm inuicto conſilij robore, pertinacíque vigore militaris animi comparetur. His enim inſtrumentis ardens ſemper & inuicta virtus Ottomanos prouexit & extulit: illæ autem, vti mihi videntur, adumbratæ laudis imagines otioſorum & deſidum Regum animos delectent, armatis certè numquam Majoribus tuis, niſi poſt debellatos hoſtes, triumphóſque actos, ac erecta trophæa, placuerũt.

Sed

Sed hæc arbitrio iudicióque tuo, cui majora ingenia concedunt, tribuantur. Ego certè, ſi bellorum caſus, & non incerta rerum momenta longè proſpicio, eam minimè, quam animi libido ſuadet, conſilij rationem ſequar, cum ipſa, quæ cunctis rebus dominatur, & me vehementer vrget, multò meliorem neceſſitas oſtendat. Ante omnia Hungari, vt ipſis minimè confidamus, pręclare nos admonent, quum rapinis, transfugiis, atque perfidiâ infames inter ſe diſſentiant, nec eorum exules deſint, qui Germanos concitent, & continenter bellum gerant: Reginæque & pueri opes infirmæ, quæ tantæ eſſe non poſſunt, vt præpotentem propinquúmque hoſtem ſuſtineant; Neceſſe ergo erit, alienum regnum noſtris tueri auxiliis, quæ minora iuſtò exercitu, ſine magno noſtro diſcrimine detrimentóque adduci nequeunt. Magnis porrò, vti ſolemus, peditatu, tormentis, claſſéque

inſtructis exercitibus ſingulos per annos, tanti itineris & laboris expeditionem ſuſcipere, extremæ dementiæ opus videtur. Neque enim ex Ottomanici nominis dignitate putauerim, quotannis ad plorantis petentíſque opem fœminæ preces, commoueri, niſi arma ſuſtinere, quàm inferre, vtilius atque nobilius putes. Itaque cenſeo, hoc Regnum, vti iure belli toties captum defenſúmque, more majorum in prouinciam redigendum, Reginam Patri remittendam, puerum alendum Bizantij intra ſepta regiæ, noſtriſque legibus imbuendã; Proceres necandos, euertendáſque eorum arces, ac ex omni regione familias inſignes, quæ ferociores ſpiritus gerant, in Aſiam traducendas: reliquam porro multitudinem, quę agros colat, atque vrbes inhabitet, impoſitis præſidiis, conſeruandam.

Hoc vno ſiquidem decreto, Solymane, & Hungari ſe perdomitos intelligent, & Germani, niſi temerè

vtique ac infeliciter de Styria & Auſtria dimicare velint, Pannoniæ finibus abſtinebunt. At Solymanus eo temperamento decretum edidit, vt ſingulorum ſententias appoſitè moderatus, parem omnino viam ſecuritatis ſimul, ac dignitatis, tenere videretur. Budam enim Turcico præſidio cuſtodiendam cenſet, Reginámque obiter monet, vt æquo animo vrbe atque arce excedere velit, ipſam enim cum puero vltra Tybiſcum in Lippa, Tranſſyluaniæ & circumjacentibus populis regnaturam, regione admodum pacatâ, atque opulentâ, &, quod non mediocri etiam ſolatio eſſe poſſit, Sigiſmundi Patris finibus propinquâ, donec Stephanus puer (qui Ioannes Sigiſmundus poſt dictus eſt) agnoſcendo regno feliciter adoleſcat, eoſdem porro eum tutores atque nutrices habiturum.

Vichiũ quoque Themesvarienſis præfecturæ Sanzachum maximè illuſtrem atque potentem fore,

Verbetium verò ſenem, vt legum totius Regni, vrbanarúmque rerum peritiſſimum, Budæ Vngaris jus dictūrum: ſe verò daturum comites ex prætoriani alis, currúſque & Sarcinaria jumenta, quibus mūdus muliebris, gazáque omnis regia in Lippam auueherentur. Itaque Regina vel cum lachrymis & tacito gemitu, tyranni perfidiam deteſtata, ſed tum neceſſitati diſſimulanter cedens, arce atque vrbe exceſſit: ea à Barbaris, impoſitâ lege, vt tormenta ænea, & quicquid militaris inſtrumenti armamentariis inerat, & commeatus omnino in horreis, relinqueret. Proceres quoque vnâ profecti ſunt: qui tametſi peracerbo rerum euentu triſtes incedebant, receptá tamen libertate ſalutéque, de qua per triduum deſperarant, per quam effusè lætabantur. Tranſſyluani cum multis circum comitatibus, concedente Demum Solymano, in Stephani pueri Regis nomen, inclinatis animis,

jurauerunt;

jurauerunt; quòd iuſtum mitéque Imperium Ioannis, patris, in ea Prouincia, per triginti ferme annos fuiſſe, meminiſſent, tuleréque ſæpè dona puero, fideíque pignora, quũ Iſabella mater cum Georgio, Vichioque tutoribus Lippæ conſediſſet. Multa adhuc hodie Iſabellæ Reginæ, & Stephani (qui tandem Ioannes Sigiſmundus dictus eſt) in Tranſſyluania ſuperſunt diplomata, cumprimis apud Saxones (hos ego veteres Dacos, & reliquias Gothorum voco) qui immunitatibus & priuilegiis omnes alias nationes ſuperant.

Dum hæc ita fiunt, Ferdinandus de ſuorum clade certior factus, & valde de ſolitis Turcarum excurſionibus ſibi metuens, ad inijciendam Solymano moram, Legatum, Nicolaum Salmam Budam miſit; Tulêre munera, excelſum Germanico more ex auro poculum, lectiſſimis exornatum gemmis, eruditæque inſuper admirationis argenteam

genteam machinam, in qua non horarum modò ſpacia, ſed errantium etiam ſyderum motus, menſtruíque ſolis ac lunæ coïtus, exactiſſimâ ratione monſtrabantur, intus ſcilicet dentatis rotis ponderibúſque admirabili momento, vel in multum æuum minutiſſimas temporum menſuras diſpenſantibus; quum inter celeres tardóſque orbes, in tam vario inæqualique polorum ordine, audaci quadam ſupremi motoris æmulatione cuncta congruerent. Ea à peritiſſimis Aſtronomis excogitata perfectáque, Maximiliani Cæſaris fuiſſe dicebatur, cuius ingenium nobili ſemper ſtudio, nec deterrente vnquam ſumptu, rara atque admiranda concupiuit.

Quod donum Solymano non mediocriter placuit: ea enim ingenij ſubtilitate fuit, vt non modò ſacris literis, quibus ſuperſtitionis ſuæ leges continentur, eſſet eruditus, ſed Aſtronomiæ, Coſmographiæ

phiæ præſertim, curioſè operam daret, Hammone medico perdocente. Petebant Legati, vt Pannoniæ regnum Ferdinando concederet; Tributum enim, ſicuti Ioannes pendere conſueſſet, quotannis ſe penſurum pollicebatur. Solymanus, jucundo vultu laudatis muneribus, biduo pòſt per Roſtanem reſpondit, vltimam hanc eſſe pacis ac amicitiæ conditionem, vt Ferdinandus vrbes, oppida, arces quæ in ditione Ludouici Regis (hunc occiderat Solymanus, adeóque ſui iuris regnum eſſe factum contendebat) antea fuiſſent, continuò redderet, ac impoſterum Pannoniæ finibus abſtineret: ſe verò, qui toties bello laceſſitus graues ſumptus immenſóſque labores ſubiiſſet, leui pœnâ contentum fore; eam eſſe, vt ad conſeruandum inuictæ Majeſtatis decus, Auſtriæ tributum imponeret; tum verò initâ amicitiâ ſolemne fœdus percuſſurum. Quod ſi ea conditione grauarentur, obi-

térque

térque bellum quàm pacem mallent, ſe annixurum continuis armis, vt Pannoniæ regno adempto, Auſtrias vaſtando regiones abunde vindicaret. Sic Solymanus rem in medio relinquens & autumnali tẽpeſtate impeditus, ſedem imperatoriam repetit.

Interea Lippæ, quum Georgius Martinuſius, ſpretis reliquis Proceribus in publica adminiſtratione, ingenio ſuo vteretur, in ſuſpicionem Reginæ venit affectati Regni: Itaque crebræ inter eos diſcordiæ, vtrique perniciofæ, atque inprimis Chriſtiano nomini; & quò ſæpius reconciliati, eò ſuſpectior alter alteri: tandem poſt repetitas reconciliationes, quàm ſub rege pupillo, popularium gratiam aucupatus, ſenſim ad ſe omnem poteſtatẽ contraxiſſet, eò deſperationis matrem adegit, vt rurſus à Solymano contra Georgium, quaſi cum Ferdinando in necem filij & ipſius authoritatem conſilia agitantem, auxilia

xilia petierit. Mature tamen per amicos res inter ipſos eſt ſopita. Verum non diu concordia inter Reginam & Georgium ſtetit, qui, quòd ſe imparem Turcicæ potentiæ cerneret, à quâ parata auxilia ad Reginæ nutus videbat, clàm cum Ferdinando agere cœpit: Nec deerant rationes, quibus homo ancipitis animi fidem ſuam Ferdinando approbaret, &, nihil ſe ab officio & munere alienum facere, oſtenderet: id enim agere ſe, vt Ioannis, munificentiſſimi Domini ac bene meriti de ſe Patroni, filio & Reip. ſimul Chriſtianæ conſulat, quæ ambo impotentis & ſuſpicioſi animi fœmina perditum eat, dum publicæ adminiſtrationis omnino rudis ad leues quoſque rumuſculos & ſuſpiciones, ſtatim auxiliares Turcas euocet, qui, vt Budam, olim, ſic cæteras harum regionum vrbes & arces paulatim in poteſtatem, amicitiæ ſpecie, redacturi ſint, fortunamque ipſius ac filij peſſum daturi.

Igitur ſic optimè vtrique conſultum videri, ſi Regina, filij nomine, Ferdinando Regnum cedat, compenſatione idoneâ acceptâ, vti olim inter Ioannem & ipſum conuenerat: ita enim fore, vt pueri, multis iniuriis in illa ætate obnoxij, incerta fortuna in tuto collocetur, nec religionis cauſa prodatur tradito Regno, quod irrumpentibus Turcis ſit oppoſitum, in manus potentiſſimi Principis, qui ſuis & ſuorum viribus communem Chriſtiani orbis limitem contra communem hoſtem tueatur. Ferdinandus, tametſi hominem ſuſpectum haberet, tamen ne videretur tam pulchram rerum ſuarum in Pannonia ſtabiliendarum occaſionem prætermiſiſſe, Georgio gratias agit; &, vt in tam laudabili propoſito perſeueret, hortatur: atque interim, dum majora auxilia ſubmittat, mille equites Hungaros cum quadrimeſtri ſtipendio ac machinis bellicis aliquot eò præire jubet. Quibus

de

de rebus mox Cæſarem fratrem certiorem facit, & artis bellicæ virum rerúmque Politicarum præſtantem, Ioannem Baptiſtam Caſtaldum, Hiſpanum, ab ipſo obtinet. Is Viennæ aliquandiu de belli rationibus,& Georgij ingenio,quo cum præcipuè ſibi futura res erat, cum Ferdinando egit,cognitis proviſiſque, quæ neceſſaria erant ad Georgium continuatis itineribus properat.

Iſabella interim Regina Comitia Agnatetij (Tranſſyluaniæ oppidum eſt haud obſcurum) indicit, in quibus ope amicorum, Georgio ob nimiam potentiam infeſtorum, ſe conſecuturam ſperabat, vt illi imperium obrogaretur; cui rei homo ſagax, qui tunc Varadini erat, vt præueniret, datis ad amicos literis ſtatim eò proficiſci ſtatuit, vt præſentiâ ſuâ Reginæ conſilia diſturbaret; móxque eius aduentu comitia ſoluuntur. Regina, quòd Georgij præſentiam aut metueret,

aut non ferret, Albam Iuliam ſecedente. Georgius apertus jam Pupilli Regis hoſtis, vrbes oppugnare ſecum Varadino adductis copiis incipit; Caſtaldus etiam prouinciam ingreſſus Claudiopolim cum exercitu venit.

Huius aduentu Georgius, quum territam Reginam ſciret, ipſam conuenit, vt erroris ſui admonitam ad componendum cum Ferdinando hortaretur. Claudiopoli, indictis denuo comitiis, Caſtaldus in Regni conſilio, coram Georgio cæteriſque proceribus, aduentûs ſui cauſas exponit, vt videlicet, cum Regina de conditionibus, jam anteà Ioanni, eius marito, oblatis, ageret.

Eæ erant, vt Regina filij nomine Tranſſyluaniam, quam Turcicæ potentiæ impar tueri non poſſet, in rei Chriſtianæ commodum, Ferdinando cederet, & compenſationis loco Euboriæ & Radiſporij, in Quadis, Principatibus, quorum annus

annuus reditus 25000. aureorum conficeret, potiretur, arctioriſque amicitiæ causâ Ioannam Ferdinandi filiam, in vxorem, cum centum aureorum millium dote, acciperet; æs omne alienum, à Patre & Matre ipſius contractum diſſolueretur, 50000. aureorum, quæ Iſabellæ dotis nomine reſtitui deberent, à Ferdinando penderentur,&,quovſque omnia præſtarentur, pignoris loco Caſſovia,primaria in circumvicina regione ciuitas, Reginæ & filio ad habitandum concederetur. In has cõditiones aſſentiente Georgio, Regina, odio potiùs ipſius, cuius omnino ſe jugo eximere cupiebat, quàm voluntate, conuenit, fidem Caſtaldi ſecuta hominis verſuti, qui nihil non promittere Ferdinandi nomine paratus venerat, vt Reginam Tranſſyluaniæ Imperio deijceret, & Prouinciam in Auſtriacorum poteſtatem redigeret; cuius rei poſtea eam,quamuis ſerius pœnituit.

Rebus ita peractis Iſabella, inter Georgium & Caſtaldum media incedens, cum filio ad cœnobium quod octo ab vrbe miliaribus Italicis aberat (non ita pridem à Tartaris funditus eſt deſtructum) memorabili oratione puerum Regem affatur: Quando Tua, inquiens, aut mea potius fortuna non tulit, vt Regno Paterno, legibus & iure gentium tibi delato, vti frui poſſes, fatorum iniquitatem, quæ nulla vi noſtrâ, aut humanâ induſtria corrigi poteſt, æquo animo feramus, neceſſe eſt; & in his rerum anguſtiis, id eligendum, quod, ſi minus vtile poſſit videri, (quid enim eſt tanti, quod Regno queat rependi?) at tutius certe tibi, & Reipubl. Chriſtianæ futurum cōducibilius: in ea ſiquidem ætate conſtitutus es, in qua optimè de te conſuluiſſe ij cenſendi ſunt, qui quauis ratione omnibus ferè iniuriis obnoxium caput à periculo præſenti liberauerint. Itaque quum ſupra ætatem

& vires tuas huius Prouinciæ contra Turcarum potentiam defenſio poſita ſit, non ægrè ferre debes, ſi, quod opibus propriis tueri nequis, potentiori Principi tuendum tradas; à cuius amicitia tantùm gratiæ ac fauoris ſperare impoſterum potes, quantum ingrati laboris ac moleſtiæ, & parens tuus, &, poſt obitum eius, vterque noſtrum pertulit.

Nam Turcarum amicitiam, (id enim ingenuè agnoſco, neque errorem fateri pudet,) potentiorem quàm fideliorem hactenus experti ſumus, & dum priuatis rebus proſpicere nos putamus, rempub. Chriſtianam, nóſque ipſos, qui illius pars ſumus, in extremum diſcrimen adduximus: Igitur, quod nomini Chriſtiano conducibile, tibi verò glorioſum ac tutum, mihi felix fortunatúmque ſit, hæc inſignia (quibus Reges Vngariæ inaugurantur) in manus tuas, Caſtalde, trado, vt ea ad Ferdinãdum quàm-

primum tutò deferenda cures, erit tuæ fidei, & eius, cuius auſpiciis in Daciam veniſti, vt conditiones propoſitæ ſine mora & fraude impleantur, & Sereniſſimus Rex non tam Regnum adipiſci, quàm eo adepto magnanimitatis & conſtantiæ laudem quæſiuiſſe videatur. Traditis inſignibus, Caſtaldus prolixâ habitâ oratione, Proceres in Ferdinandi fide confirmat.

Poſt Georgius, ante omnes, in fidem Ferdinandi, tanquam legitimi Regnorum hæredis, iurauit: cúmque mox certatim ſecuti Gothorum reliquiæ, & Sekelij authore præcipuo Ladiſlao Emdefo. Et quia pacem illam bellum ſecum Turcicum trahere prouidebant, de belli contra communem hoſtem gerendi ratione ibidem actum eſt. Iſabella, ne priuata in eo Regno, cui ſummo cum imperio præfuiſſet, diutius viueret, conuaſatis rebus ſuis, per montes aſperos, Caſſouiam verſus iter direxit; Quum

propter

propter anguſtias viarum inter ſylvas de curru deſcendere cogeretur, dum auriga currum traduceret, ipſa verò in Tranſſyluaniam reſpiciens, priſtini culminis, è quo deciderat, memor, altum corde ſuſpirium duxiſſe dicitur, & cum aliud non poſſet literata fœmina, inſcripto arbori nomini hæc addidiſſe, SIC FATA VOLVNT; eóque relicto iuſti doloris monumento, rurſus currum conſcendit, & inſtitutum iter perſequitur. Georgius, vt diſceſſu Reginæ lætus; ſic de bello Turcico, quod imminebat, anxius, in diuerſas cogitationes rapiebatur, cúmque eum qui tributum, à Tranſſyluanis Turcæ pendi ſolitū, in Viuariana arce à ſe extructâ honorificè excipiendum curaſſet, ipſe eò quamprimum profectus eſt, & partim diſſimulatis, partim excuſatis, quæ acta fuerant, culpâ omni artificiosè in Reginam deriuatâ, rei inuidiam à ſe amoliebatur, vt, dum Turcicis fauere ſe partibus

fingit, priſtinam fidei opinionem apud eos tueretur, ſicque belli incendia, quantum in ſe eſſet, à patria auerteret. Quod ſecus eius inimici interpretati, occaſionem arripuerunt conſilia in eius perniciem agitandi. At Solymanus Tranſſyluaniæ defectione perceptâ, Budenſi Præfecto, Stephano Moldauiæ Principi, & vicinis paſſim Ducibus, imperat, vt continuò, arreptis armis, perfidiam hominum vindicarent.

Illi fideliter juſſibus Imperatoris parentes, exercitus cogunt, & arces non paucas atque jam etiam Lippam capiunt. Tranſſyluani numeroſo exercitu illis ſe opponunt, móxque amiſſa recipiunt. Dum in eo ſunt, Ferdinandus literis Caſtaldo mandat, vt Georgium, qui clandeſtina aduerſus ſe conſilia agitaret, vel in poteſtatem redigeret, vel, ſi aliter non poſſet, de medio tollendum curaret. Nec mora, Caſtaldus dato negocio Pallavicino

&

& Marco Antonio Ferrario (Caſtaldo ab epiſtolis erat) impigrè mandata exſequitur, & Georgium obtruncat.. Quo nuncio Sekhelij Agaropoli perterriti, tantum non in Caſtaldi caput conjurauêre. Variâ pòſt cum Turcis viciſſitudine bella gerebantur. Ferdinandus, vt Prouincialium animos demereretur, Andream Battori, Tranſſyluaniæ Vayuodam conſtituit.

Interea frequentia Reginæ poſtulata, conditionúmque commiſſi Regni præſtationem, Ferdinandus promiſſionibus duntaxat rependit; vnde illa, quòd ſe ludificari cerneret, clàm agebat cum Prouinciæ Regulis, Germanorum, ac præcipuè Caſtaldi, imperium exoſis; vt filius in Regnum reſtitueretur, incitante ambitioſam fœminam, ante alios, Mirce, inferioris Mœſiæ regulo, qui ſuam operam vltrò pollicitus, etiam ſecretò Solymânum, Reginæ nomine, de auxiliis ſollicitauerat. Dum & à Germanis, & à

Turcis, Tranſſyluania malè mulctatur, Regni Proceres, Legatione ad Ferdinandum decretâ, vt ſibi de pace cum Turcis agere liceret, impetrauerant. Id ſe adſecuturos ſperabant interuentu Halis cubicularij. Conditiones eædem propoſitæ, quæ à Ioanne Rege præſtabatur; ſed additum à Ferdinando, vt honeſtiores conditiones obtineri poſſent, vt recenter captæ arces reſtituerentur. Hæc à Proceribus acta, non nominato Ferdinando, aut Caſtaldo, quòd eò maxime dignitatem eius flagellare exiſtimarent. Suſcepit negocium Halis & intra octiduum, reſponſum ſe relaturum, ſpondet.

Interim Agoropoli, (vulgo Vaſarhelis) conuentus agitur, quò & & ipſe Halis, mox, redit, & longè diuerſum ab ordinum expectatione ac voto reſponſum à Solymano adtulit. Mandabat Imperator, vt, quãdoquidem Georgius, immani morte præreptus, Germanos Daciâ pellere

lere non potuerit, ipſi pro fide & obſequio, quod ſibi deberent, imperata facerent, & reſtituto in Regnum Ioanne Sigiſmundo, Ioannis filio, eandem tranquillitatem, & ſecuritatem, quam anteà ſub Ioanne demortuo experti ſint, à patrocinio ſuo ac gratiâ expectarent; quod vt commodius exſequi poſſint, Achameti purpurato negocium dediſſe, vt conſcripto valido exercitu, coactíſque ex Græcia ac vicinis præfecturis ad ducenta vſque hominum millia, expeditionem ſuſcipiat; inſuper ad Tartarorum Principem, & Valachiæ & Moldauiæ Vayuodas ſcripſiſſe, vt vires ſuas cum Achamete conjungerent: Pareant igitur, ſi libertatem, dignitatem, fortunáſque ſaluas velint; Sin, ſpreta ipſius authoritate & imperio concordes cum hoſtibus maneant & imperium detrectent, ſibi perſuadeant inobedientiæ pœnam præſto fore: ſe enim (quum ſacramento fidem Deo religioſe

obligaret) omnes prouinciæ incolas gladio & extremis ſuppliciis deuouiſſe; hæc illis vltimo denunciare, ne tot animarum ſanguis à ſe repoſcatur, ſed calamitas illis imputetur qui propter contumaciam ſuam ac perfidiam, futuris malis cauſam dederint. Quibus literis Procerum animi valde commoti, Turcicæ potentiæ probè gnari, vel artificioſiſſimis Caſtaldi perſuaſionibus induci haud quaquam potuerunt, vt, ſpreta ſalute, tot ſimul copiis ſe obijcerent. Acceſſit Germanorum & Hiſpanorum militum exorta ſeditio; diu fruſtrà ſtipendia ſua vrgentium: qui nullis Caſtaldi precibus aut minis retineri poterant, quin arreptis ſignis, & nouis Ducibus creatis, (quod in huiuſmodi motibus ſolemne eſt) injuſſi per Pannoniam, Viennam verſus iter ceperint; quos, quum aliud non poſſet, breui ſubſecutus Caſtaldus, arrepta hinc, vt creditur, honeſta occaſione, quâ

ſe periculo conjurationis Procerum, à quibus cum Hiſpanis ſuis opprimi debuerat, homo prouidus ſubduceret. Quo facto vniuerſa Tranſſyluania ſtatim ſub Iſabellæ jura conceſſit, quæ, indictis Cibinium Comitiis ex Ordinum conſilio res in Prouincia ordinauit. Sed eam lætitiam ſecuta peſtis, quæ, biennium integrum per eas regiones crudeliter graſſata, partim imminuit, partim, quia bellum interea geri non poterat, res noui Regis ſtabiliuit. Reſtituta in Regnum Tranſſyluaniæ Iſabella cum filio, animum applicuit ad conciliandos ſibi Proceres. In Aulam Ottomanicam, vt amiſſam fidem redimeret & nouos patrocinantes Baſſas corrumperet, miſit quotannis Conſtantinopolim decem aureorum millia amicis ſuis diſtribuenda. Quæ beneuolentia in importunum excreuit tributum. Amiſerat enim, vti diximus, per inſidias Caſtaldi Georgium Cardinalem; Hic eſt

ille magnus Monachus qui mira felicitate in tanta tempeſtate Trãſſyluaniam ſeruauit; dum eam, à Solymanno captam, promitteret Ferdinando, poſſidente illam Ferdinando, traderet eandem Turcis; ſummæ vir prudentiæ æmulis continuo bello commiſſis, aliquod libertatis genus fingere volens, docuit, inter duas maximas Potentias ſuſpectum magis quam apertum pectus debere illos gerere, qui pellem ſuam controuerſam animaduertunt; & ſimul ac libertatem ab alterutro ſentiunt arreptam, eripiendam offerendam eſſe alio, antequam vni omiſſis occaſionibus manus vinciendas dederint. Idem Georgius Martinuſius, qui fuerat Frater Eremita Min. Vayuodalem poteſtatem primus inclinauit, præcipuam Imperij vim in Proceres transferens, ſternente illi viam Stephano Maylato. Poſt mortem Iſabellæ, Rex Ioannes ſecundus, quum per ætatem adminiſtrare Regnum non

non poſſet, placuit ipſi & Statibus, eligere duodecim Conſiliarios è tribus Nationibus quaternos, Rép. moderaturos. Vndè maximum momentum Statuum votis & Cardinalis Georgij conſiliis, acceſſit. Ioannes Rex paulatim amicis, quos Pàter eius fecerat, amiſſis, in ſoluta iuuentute, non vſquequaque felix fuit. In ſola Turcica tutela acquieſcens Chriſtianis Principibus ita ſe faciebat inuiſum, vt par conjugium ex dignitate ſua non inueniret, & Reſpub. Venetorum illum repudiaret, quando ex Patricio ordine, (Publico nomine ad exemplum Regum Cypriæ) comparem in matrimonium per Legatos peteret; Multi ajunt ipſum Medico Stankario Doctore Arianæ religioni addictum fuiſſe. Æterna memoria dignus eſt labor eius in componendis religioniſtarum diſſidiis, multos Articulos (leges fundamentales) reliquit, quibus Romano-Catholica, Caluini-

ſtica, Lutherano-Euangelica, & Photiniana ſeu Vnitaria, tolerandæ religiones imperantur. Hac baſi etiamnum hodie noſtra ſtat concordia. Obijt non ſine ſuſpicione veneni in Tranſſyluania, Rex exul ab incunabulis ſine prole. Occaſionem dedit Regnicolis vt ex hæreditaria Regum Hũgariæ Prouincia, Regnum facerent liberum & aulſum. Poſt Ioannem ad faſces euectus eſt Stephanus Bathori, qui primus Principis titulum in Tranſſyluania geſſit, meruitque Coronam Polonicam. Huic & Fratri Chriſtophoro ſuffectus Sigiſmundus Bathori receſſit à conſiliis ſuorum anteceſſorum, (qui admodum pacate Dacias ſub auſpiciis Turcicis tenuerant) & Imperatori Romano vendere, aut cum alio Principatu Tranſſyluaniam commutare imprudenti perſuaſione cogitabat, in alternas tandem pœnitentias recaſus, cecidit ex gratia amborum Imperatorum, ac poſt-

quam

quam multas calamitates inconſtantia ſua in Patriam inuexiſſet, mortuus eſt quæſita morte. Succeſſit ei Frater Andreas Bathori Cardinalis, plus per artificia quam legitima electione. Ideoque Ottomanus eius exercitum per Michaëlem Vayuodam Valachiæ propè Cibinium attriuit, ipſe per confuſionem in Regno ſuo aliquot diebus vagus occiſus eſt à paſtoribus ouium. Anno huius ſeculi ſeptimo eligitur in Tranſſyluania Princeps Sigiſmundus Rakotzi, qui in limine regiminis ſui faſtidire cœpit natum ſibi laborem, ac ſine amicis immenſæ imperandi difficultatis pertæſus, demùm ei aduerſanti & Principalem dignitatem ambienti, ſceptrum conceſſit, retentis in compenſationē Comitatibus Patakienſi, & Machouienſi, cum pertinentiis; exceſſitque Tranſſyluania, ingentibus theſauris, quos breui tempore corraſerat, in ſuas ditiones ablatis; Ita Gabriel Bathori à Ra-

kotzio Statibus Turciſque commendatus recipitur cõfirmaturque. Iuuenis iſte Princeps aperte gloriabatur, ſe per artes Politicas ſenem Rakotzium deluſiſſe, ac vanis minis Regni faſces ei extorſiſſe. Quum multa tribueret ingenio, primò in confidentiam ſui, dein' in ſoluti pudoris ſentinam delapſus paſſim Magnatum matrimonia inuolauit, violauitque virginitates nobiliſſimarum puellarum; ad ſpecioſæ formæ fœminas expugnandas ſuos habuit emiſſarios; adeo vt viles etiam ruſtici Principe iter faciente, in templa aut loca munitiora filias ſuas abſconditum irent; quod, quum ad aures ſuas appelleret, effuſo cachinno ſibi gratulatus eſt, tantum abeſt, vt erubuerit. Cibinium nil tali ciuibus ſomniantibus dolo cepit, vnde viros, quos numero ſuorum ſuperauerat eiecit vrbe, impie retentis ipſorum vxoribus ad abuſum; Fœminæ enim Cibinienſium amantur vt benè pal-

lidæ,

lidæ. Increpantibus illum Theologis, prætexuit injurias Andreæ Bathori, quem acie fuſum Cibinienſes intra mœnia recipere recuſauerant, Clemens, inquiens, vindictæ genus eſt, propter deſertum & trucidatum Fratrem multiplicare vrbem. Quum autem Proceres diuina humanáque in Patria confundi viderent, conceptis in illum odiis ad Portam Ottomanicam queſtum mittunt; quo percepto inſidias metuens, Varadinum ſeceſſit, vbi extra arcem recreandi animi cauſa carpento vectus paulo poſt à Duobus Nobilibus eſt interfectus. Atque ſic ignobili clauſula nobiliſſimam & Illuſtrem Bathoriorum familiam finijt.

Huic ſuffectus eſt in Imperio Bethlen Gabor (Hungariſmus prænomen nomini poſtponit) Princeps magnanimus & felix, qui terrorem & exercitũ ad Viennæ vſque mœnia duxit, quum Turcarum indulto Bohemis, fidei ſuæ cognatis opem

ferret,

ferret, ac Hungariæ Regnum Auſtriacis eriperet, reſtitueretque glorioſis proficuiſque conditionibus. Pacati vir ingenij deſcendit vnde multi malunt deijci. Obijt anno vigeſimo nono ſummo Regnicolarũ dolore. Poſt aliquot contentiones Medgyeſſini, Catharina Princeps domûs Brandeburgicæ conſignauit Regnum Stephano Bethlen, defuncti Principis fratri, Qui & eximia pietate ſuffragia Statuum, & ingenti erga Turcas fide, confirmationem, diu meruerat. At ingenuitatem ſuam caterua ambitioſorum (ſimplicitatem rata) contempſit; Ipſe etiam in ſinu ſerpentem deprehendens, ſpreuit magis, in tanta hominum perfidia, quam projecit faſces, & ſine ſanguine Rakotzios admiſit. Sæpe illum dixiſſe ferunt, Pœnituiſſe Æſopicas ranas, quòd pro trabe Rege flagitaſſent in paludes anguẽ. Itaque Georgius Rakotzi, qui ſub Gabriele Bethlenio Dux fuerat haud obſcurus, ac ex

parte

parte Hungariæ valde potens, principatũ obtinuit rita inauguratione. Regnum ſuũ mira dexteritate auſpicatus eſt, ingenti aliquandiu periculo ſuſpenſus, dum in eo ſe cõfirmaret; Fudit, fugauit, & in perpetuos carceres incluſit ſuæ dignitatis præcipuos Authores, ingrata quidem gratitudine, ſed optimo ſuas res ſtabiliendi conſilio. Expeditiones in gratiam Proteſtantium in Hungaria egregiè finiit, vtilitatis conſecutus parum; odium Ferdinandi ſibi conflauit ingens, quod filium ſuum ſucceſſorem oppreſſit, commendauitque ob id Bizantij; armauit affectus ſuos proſpero euẽtu; modeſtiam ſibi naturalem ad cõtrarios fines coëgit; vt jam non obſcurè anhelaret Coronæ Poloniæ; propter detentum à Suecis Ferdinandum etiam ſperaret. Anno quadrageſimo octauo tot periculoſis meditationibus in melancholiam demerſus, (hanc frequentiſſima venatione diſpellabat) expirauit. Ei

ſurrogatus

ſurrogatus eſt in Regno Filius natu major Georgius, Princeps erecti (ô ſi recti!) ingenij, & bellicoſus, qui totam Europam noſtris calamitatibus & ſuo fato compleuit. Iſte Patris conſiliis inſtans amicos quærebat in Polonia; In adjacente Moldauia bellum feliciter intulit Baſilio Principi: qua victoria, gradum maximum ad Diadema Polonicum ſe ſuperaſſe exiſtimabat; atque adeo quidam Procerum cœca ſpe eius animum impleuerant, vt, poſtquam Matthiam Principem Valachiæ, periculo ſeditioſorum ſtipendiariorum Szemeniorum liberaſſet, commeſſationibus magis quam conſultationibus indulgeret, ignarus Principales honores mediis in ignibus eſſe, ignémque multo liquore extingui. Tandem quum Suedi premerent Sarmatas, occaſione arrepta, confeſtim expeditis armis cõductiſque Cozakorum copiis, cum pleriſque Nobilibus in Polonia ſe cum Carolo

rolo Guſtauo Rege coniunxit; Vbi, quod fecit ſcribent Poloni ; quod paſſus eſt Tranſſyluani centum annis lugebunt. Præcipua Daciæ Nobilitas deuenit in compedes ſæuiſſimorum Tartarorum , quibus Poloni & Cozaki ipſos tradiderant. Rakozius cum paucis lectiſſimis vix Tartarorum manus elapſus à Polono Duce vitam & libertatem multis precibus & indecora pactione obtinuit. Tranſſyluaniam redux inuenit eam viduam , lacrymantem , confuſam , & quod erat maximum Turcarum indignationem , qui Statibus repudiandum Rakotzium imperabant ; quibus ſe explicare deſperans , ſuppreſſit dolores & aſſenſit in Franciſci Redei noui Principis electionẽ. Quod iterum retrectans Medgyeſſini coëgit Status à cœptis deſiſtere ac ſe Principem coli ; Hinc orta ardens Turcarum ira vindictáque ! hinc bella ciuilia atrociſſima ac diſcordiæ ! dum alij Patriam, alij amarent

Principem,

Principem, quidam è communi miſeria ſortem & fortunam ſperarent; Ita mirum non eſt, ſi, rebus in hunc modum confuſis, inenarrabiles ruinæ euenerint, imo maximè mirum quomodo extremæ afflictiones deuolui potuerint. Igitur Turci vt Tranſſyluanos dicto facerent audientes, poſt multas minas à Rokotzio & eius amicis contemptas, cum octoginta millibus Tartarorum, Anno quinquageſimo octauo, per Valachiam irrumpunt, cæde, incendio, præda, maximam Prouinciæ partem deuaſtánt, vrbes taxant, & , quod maxime deplorandum, quadraginta millia Tranſſyluanorum in æternam captiuitatem abducunt. Poſtquam autem Achatius Barczai & Ioannes Lutſch Tartaris occurriſſent; ſupplicatum; deſiſterent ab internecione afflictæ gentis, paratos eſſe Regnicolas imperata facére; ita deflexerunt à Patria inauditas ærumnas. Ibique nominatus in Principem

Barczaius,

Barczaius, & abſente Rakotzio, qui appellente periculo in Hungariam profugerat, à Statibus etiam eligitur ratihabeturque. Rakotzius inglorium ratus pati in ſede ſua, eum qui Patri eius in vili miniſterio fuerat, Barczaio illuſit, & receſſis Turcis aperto marte illum perſecutus eſt; Viciſſim iſte audax & in Turcarum tutela certus, &, vt aiebat, legitimæ electionis conſcientia innocens, vbi poſſet, Rakozianis oberat. Quum autem Barczaius Princeps in exhauſta Patria juſtos exercitus alere non vellet, ac eapropter inſolens Rakozius vanè multas victorias ſibi promittens, hoſtem ſuum fundere non poſſet, ac in tanta hominum expectatione cœpta nunquam deſerere niſi mortuus conſtituiſſet, decreuit aggredi Barczaium inſidiis. At iſte re intellecta cum mille quingentis Genizaris & præcipua nobilitate ſuarum partium in Cibinium vr-

bem

bem munitiſſimam ſe includunt. Quam extẽplo Rakotzius obſidione ſtrictâ cinxit; vt, expugnata vrbe, ac ſperabat, & hoſtes ſuos in compendio trucidaret, & inexpugnabilem belli ſedem, ſi in ſuas manus deueniret, magno animo teneret. Cibinienſes ob inſperatam rem attoniti, & parum præparati ad alendos tot hoſpites, quæ in arbitrio ipſorum amplius non erant, maluiſſent præuiſa. Tamen Ampliſſimi ſenatus conſilio, præcipuè vigilantiſſimi prudentiſſimíque Conſulis Andreæ Meltzeri de Verth, induſtria, (cuius virtutes gener ego per modeſtiam aliis ſtringendas relinquo) ciuium etiam fortitudine, ingenti conſtantiâ, tanto periculo ſe explicauerunt; quod à ſapientibus erat deſperatum; dum intra mœnia haberent mille quingentos hoſtes naturales Turcas, foris autem ingentem coronam famelicorum Hayducorum; totam inſuper Tranſſyl

Tranſſyluaniã infenſam; quæ ægrè ferebat Genizeros Cibinium admiſſos, cuius poſſeſſione (vti deſperatis omnia facilia ſunt) toti Tranſſyluaniæ jugum imponi potuiſſet. Dum ad Cibinium ſex menſes hæreret Rakotzius, miſſus eſt Szeydi Baſſa cum exercitatiſſimis Turcis liberatum obſidione fratres ac Barczajum Principem; quo appropinquante Rakotzius noƈte obſidionem ſoluit & hoſti aduentanti ad Claudiopolim occurrit, conſertóque prœlio atroci poſtquã egregiè aliquandiu pugnaſſet, inclinatus clade magna amiſit exercitum, ipſe vulneratus, Varadinum deduƈtus, poſt aliquot dies extinƈtus eſt. Ferunt ante mortem, quoniam irreconciliabilem ſenſiſſet Portam Ottomanicam, Filium Franciſcum cõmendauiſſe tutelæ Leopoldi Imperatoris; Quo ſubolfaƈto, Turcæ, ad leues ſuſpiciones prompti, crediderunt Varadinum arcem ab Au-

ſtriacis occupatum iri; imo pretextu dictæ tutelæ plures diſceptationes orituras, adeóque confeſtim contractis copiis arcem illam, ſtrenuè à Tranſſyluanis defenſam, demùm deditione capiunt. Barczaius morte & oppreſſione Rakotziana non diu felix inuenit æmulum Ioãnem Kemeny. Is nuper vinculis è Tartaria liberatus, obtinuit in ſubſidium ſui viginti Germanorũ millia, Duce Comite Montecuculi; Tranſſyluanos prolixis Epiſtolis, vt erat facundus, cum adjuncto Caſzonio optimo dicendi magiſtro, induxit, quo crederent totum orbem Chriſtianum ſtare à partibus ſuis & Turcis indixiſſe bellum ſacrum tot ſeculis optatum. Ideoque Princeps electus eſt Biſtricij, poſtquam Barczajus infelix Diadema amplius ferre non multum contenderet. Paulo poſt ad colloquium inuitatus Barczajus Princeps in itinere ex compoſito ſuorum inimicorum

ſclopeto

ſclopeto & gladiis in fruſta diſcerptus miſere periit. Interim Turcæ, obſeruatis benè, Germanis; (qui magnis itineribus verſus Tranſſyluaniam aſcendebant, non ita pugnatum aut aperto prœlio conflictum, quàm Vrbes Saxonicales captum & belli futuri ſedem eo deriuatum) copias quantocyus cogunt & Duce Ali Baſſa cum Septuaginta armatorum millibus in Prouinciam feſtinant: Nam Kemenius Cibinienſium, aliarumque Ciuitatum liberarum, aures demulcebat, rogabat, imperabat, & minis inſtabat, præſidia Germanica reciperent; quod facile futurum dixerat Viennæ; cùm propter ſuam, Authoritatem, quam viginti fere annis vt Aulæ Tranſſyluanicæ Primas habuiſſet inter ipſos maximam, tùm propter cognationem Germanorum, quos in vrbibus iſtis Dacicis non ciues modo, ſed Optimates factos ſæpiſſimè

mè expertus eſſet. At Cibinienſes, quorum exempla vtplurimùm ſequuntur cæteri; humanis reſponſionibus eius animum lactabant, dum in media Tranſſyluania Ali Baſſa cum innumera multitudine caſtrametaret; Vel, quòd abſentes & impares Turcis Germanos ſcirent; Vel, quòd religionem, quam habent omnes Euangelico-Lutheranam, confundi metuerent. Claudiopolis neque ſibi, neque Patriæ, neque Imperatori, facilitate ſua admittendi Præſidia, acquiſiuit multùm gloriæ; plurimùm faſtidij, laboris, exitij, habuit exilis error. Ali Baſſa Imperator ſummæ prudentiæ diſſimulatis tantiſper quæ habebat in mandatis, Regni Proceres ad ſe vocat, proponitque diſplicentiam ſuorum propter Kemenium electum & occiſum Barczajum, adeoque de nouo Principe eligendo Aulam Turcicam recognoſci

cognoſcituro, conſilia tractabat; quemque vnicum ſuæ expeditionis finem eſſe callide ajebat. Status habita deliberatione in caſtris Turcarum eligunt ſibi Illuſtriſſimum Dn. Dn. Michaelem Apafi, Principem certe Pium, Magnanimum, & felicem, qui etiamnum hodie gloriosè Tranſſyluaniam gubernat. Ali Baſſa taxata Tranſſylvania & duplicato tributo, quum hoſtes ſui euanuiſſent, ſe in Hungariam recepit; Nam Comes Montecuculi audiens creatum nouum Principem & ſtudia Procerum diuiſa, Viennam verſus, optimo certè conſilio, tendebat, paucis ſuorum relictis apud Principem Ioannem Kemeny, qui, dum iſta fierent cum amicis per auia montium vagus, Imperialium copiarum regreſſus ægrè ferebat. Abſentiâ Turcarum denuò animatus ad perſequendum opprimendúmve nouum & legitimum Principem in Tranſſyluaniam reuolat: quum au-

tem haud procul à Schesburgo certatur, Kemenius cum non paucis in pugna occiſus, Principatum, quem nondum habuerat, ei reddidit, cui debebat.

INDEX

Rerum memorabilium.

A

ACtionum humanarum inconſtantia. pag. 1
Achatius Barczai, Princeps Tranſſyluan. 234
Affectuum rebellio bella mouet. 133
Albertus Hutterus doctiſſimus Iudex Regius Cibin. 15
Albertus Hung. Rex. 143
Ali Baſſa in Tranſſyluaniam venit. 239
Ali Baſſa noui Principis electionem vrget. 240
Ambitio. 6
Amiculæ Striatæ Dacarum. 101
Amurathes Rex Turcarum Albam fruſtra obſedit. 145

Amurathes Hungariæ Regnum incurſat. 145
Amurathes callidiſſimè pacem facit. 154
Amurathes ad Varnam Hungaros fundit. 157
Amurathis oratio ad Chriſtum Saluatorem D.N. 157
Andreas Batthori. 227
Andreas Batthori occiditur ab ouium paſtoribus. 227
Andreas Meltzer de VVerth, Conſul Cibinienſis. 236
Apafi Mihaly, Princeps. 241
Athname Turcarum. 178
Antiqui miro ſtudio Latinas Græcáſve literas introduxerunt. 60
Athanaſius Kircherus facem præfert Pueris Hamlenſibus. 13

B

BArbarorum linguæ & literæ parum notæ. 61
Baiazetes victor. 143
Barczaius per Turcarum tutelam audax.

audax. 235
Barczajus Cibinij ſe includit. 235
Barczaius Princeps interficitur. 238
Bethlen Gabor feliciſſimus Princeps. 229
Bella ſæpè paci præferenda. 134
Bulla Dacarum. 90

C

Calcei Dacorum antiqui. 90
Calceamentum. 95
Catacliſta mammillaris. 97
Calanctica Dacarum. 107
Carolus Rex Neapol. occiditur in Hung. 141
Carambus Turca capitur. 152
Caſtaldus Hiſpanus in Tranſſylu. venit. 212
Caſtaldi copiæ in Tranſſylu. rebelles. 222
Caſtaldus inglorius è Tranſſyluan. redit. 222
Catharina Princeps. 230
Cibinium obſeſſum à Rakotzio. 236

obſidionis cauſæ. ibid.
Cibinienſium difficultates. 236
Cibinienſium conſtantia, fortitudo & prudentia. ibid.
Claudiopolis. 240
Comes Montecuculi in Tranſſyluaniam aſcendit. 238
Chriſtophorus Batthori. 226
Chriſtianorum Legati Vladiſlao gratulantur. 152
Clemens VII. Pont.Max. 140
Conuiuiales ritus. 118
Criſtæ Hungarorum. 126
Curſorū Tranſſyluaniæ nota. 130
Colobia Dacarum. 97
Clerici Dacorum capillos fundunt. 87
Cinctura. 93
Columna Trajana ſtringitur. 78
Cyngari pſeudo-Chriſtiani. 55
Cyngarorum opinio de reſurrectione mortuorum. 56
Eorundem actus nefarij circa Baptiſmum. 56
Impuberes ducunt vxores. 56
Fœcundi ſunt. ibid.

Quia turpiſſimi, cõtemnũtur. 57
Ipſorum habitus & veſtimenta. ibid.
Vitæ degendæ modus Cyngarorum. 57
Studia ipſorum & ingenia. 57
Cyngarorum Duces & Duciſſæ. 58
Soli Cyngari Carnifices ſunt in Tranſſyluania. 58
Cyngari introduxerunt horrendum torturæ modum. 59
Cyngari ſunt infames. 60

D

Daciæ antiquæ termini. 6
Daciæ amplitudo. 7
Daci-Saxones à Germanis linguâ differunt. 27
Daci Germanicis literis ſcribũt. 66
Daci Germanicam linguam malè pronunciant. 66
Dacorum antiquitas. 75. 77
Decebali ſtatua in Tranſſylu. 83
Decebalus Rex à Trajano victus. 51

Daci potentiſſimi. 137
Dracul Vayuoda Valachiæ diſſuadet Vladiſlao bellum contra Amurathem. 156

E

ECcleſiaſtici Dacorum capillos promittunt. 87
Eliſabetha Alberti relicta Regno eijcitur. 144
Eliſabetha per amicos de Regno contendit. 144
Exuuii ferinis milites mentiuntur fortitudinem. 128
Endromis. 110
Exomis Dacarum. 96
Erdely vocis deriuatio. 4
Erichius viam nouit ſubterraneam in Dacias. 13

F

FAbula Hamlenſis. 8
Fabula Hamlenſis refutata. 10
Ferdinandus I. ſucceſſionem prætendit

tendit

tendit in Hungaria. 167
Ferdinandus fruſtra Solymani amicitiam ambit. 172
Fagaras obſeditur. 183
Françiſcus Redei Princeps. 233
Funerum ſolemnitates. 102
Furca. 129
Fabula obſcœna de Gothis. 31

G

Gabriel Batthori. 228
eius ingenium & vitia. 228
occiditur propè Varadinum. 229
Georgius Martinuſius Ferdinandi partes ſequi ſe fingit. 209
Georgius Patriam Tranſſylu. ſeruare volens ſe peſſundat. 218
Georgij Martinuſij Cardinalis ſumma ſapientia. 224
Georg. Martinuſius à Caſtaldo ad Ferd. mandata trucidatus. 219
Germani à Dacis populi diſtincti. 25
Germani à Dacis oriundi. ibid.
Germani ſub Auguſto demum per

vrbes diſtributæ. 26
Gothorum Origo. 30
Gothi amuſi. 62
Gothi libris ignem ſupponunt. 62
Germani à Dacis linguam habent, non Daci à Germanis. 64
Antiqua Germanorum lingua. 64
Germanica lingua primùm ſcribitur ſub Carolo M. 65
Germani Taciti æuo omnes illiterati. ibid.
Georgius Szekelij Dux rebellantium Ruſticorum. 161
Georgius Deſpota. 146
Nicol. Gara Hung. Palatinus. 141
Georgius Lepen Epiſcopus in prælium deſcendit. 146
equo excuſſus occiditur. ibid.
Georgius I. Rakotzi, Princeps. 229
Eius dexteritas & ars in ſtabiliendo Regno. 231
Suis expeditionibus bellicis reddit ſe odioſum. 231
Sperat Regalem dignitatem à Polonis. ibid.
Eius obitus. 231

Geor

Georgius II. Rakotzi, Princeps infelix. 232
Moldauis bellum infert. 232
Mathiæ Vayuodæ auxilia ſubmittit. ibid.
In Poloniam tendit. 232
Perdit exercitum & præcipuam Nobilitatem. 233
A Turcis repudiatur. ibid.
Dat cauſas belli atrociſſimi. 233
Varadini obijt. 237
Barczajum perſequitur. 235
Gothardus Cun. 182

H

Hamlenſis fabula. 13
Han vocabulum Tartaricum. 66
Habitus Dacarum fœm. antiqu. 90
Habitus Saxonum in Tranſſylu. noſtri temp. 92
Habitus Dacarũ fœm. noſtr. temp. 96
Habitus Dacarum nuptarum. 105
Habitus Dacarum virginum. 104

Hungari fœdifragi. 155
Hungaros pœnitet pacis. 154
Hungari diſcordes pugnant. 145
Hungari Germanici. 143
Hungaria & Græcia communi errore periêre. 142
Hiſtorici variant. 1
Hiſtorici ignorantiâ falſi, malitiâ rarò fefellerunt. 2
Hiſtorici Principes Hungariæ. 34
Hungari & Hunni ab Hiſtor. variè cognominati. 32
Hungari vocantur Turci à Zonara Hiſt. 44
Hungarorum Origo communior. 32
Hungarorum Origo verior. 33
Hungari vernaculo vocabulo veniunt Magiari. 35
Europæi & Aſiatici Hungari in lingua conuen. 37
Hungari ciuiles. 43
Hungarorum lingua & literæ. 69
Hungari quando ſcribere cœperunt. 70
Hungarorum raſura. 85

Hunni Aſia oriundi. 35
Hunni antiqui elegantiſſimè ab Amm.deſcr. 39
Hiſpani nobilitatem ſuam à Gothis deducunt. 25

I

IOhannes Scepuſius de Zapolya, Vayuoda Tranſſyl. 161
Ioannes Scepuſius cædit Georgium Szekheli. 161
excruciandum tradit rebelles. 161
Ioannes Scepuſius Coronam Hūg. ambit. 164
Rex. Hung. eligitur. 166
eius amici præcipui. ibid.
Iohannes Rex profligatus exulatum it in Poloniam. 169
Iohannes Rex, Solimani auxilium implorat. 171
Iohannes Rex & Ferdinandus conueniunt. 182
Iohannes Rex in Tranſſylu. obijt. 184
vltima eius Oratio ad Proceres. 184
Ioan

Ioannes II. Rex. 225
Inuiſus Chriſtianis Principibus. ibid.
Refutatus à Venetis. 225
Reliquit multas leges fundam. 225
Eius obitus. 226
Ioannes Corvinus Amurathis exercitum proterit. ibid.
Iſaacus callidiſſimus Turca. 146
Ioh. Cornis. 182
Iohannes I. Iſabellam ducit vxorem. 183
Iſabellæ Oratio ad Salmam Oratorem Ferd. 186
Iſabella cum filio Hungariæ Regno exuta. 203
In Tranſſyluania regnare incipit. 205
Iſabellæ ſuſpiciones contra Geor. Martinuſium. 208
Iſabella Tranſſyluaniam tradit Ferdinando. 213
Eius Oratio ad filium, & Caſtaldum. 214
Iſabella ægrè Tranſſyluania diſcedit.

dit. 217
Iſabella cum filio in Regnum reſtituta. 223
Mittit Bizantium donaria. ibid.
Iohan.Lutſch cum collega Patriam præſentibus periculis liberant. 234
Iohannes Kemeny, Princeps. 237
Fruſtra vrbibus Tranſſylv.commendat præſidia Germ. 239
Eius obitus. 242
Iuramenti forma Turc.Imper. 175

L

Ladiſlaus Alberti filius Hung. Rex. 158
Laſchus Ioannis Conſiliarius. 169
Ladiſlaus Hung. Rex. 143
Linguæ ſine mixtione eſſe non poſſunt. 62
Lingua Dacica ab antiquiorib. Hiſtor.ſcribi haud potuit. 63
Eam hodie malè exiſtimant eſſe Saxonico-Germanicam. 63. & 27
Literæ Dacorum. 60

Lingua

Lingua Dacorum in Tranſſyluania. 60
Ludouicus Tarentinus. 139
Ludouicus Hungariæ Rex victus interficitur. 163
Libertatis precium ſanguis eſt. 135

M

Maria Hungariæ Regina deſponſata Sigiſmundo. 141
Maria Regina in Hungariæ Regnum reſtituta. 142
Mahumetes Conſtantinopolim capit. 158
Mahumetes obſedit Albam Græcam. 159
Matthias Coruinus Rex Hungariç. 153
Mahometis Belgradenſis Oratio notabilis ad Solimanum. 195. 196
Mezethus Turca. 146
Megari Hunnorum majores. 34
Mirce Deſpota Mœſiæ fauet Iſabellæ. 219

O

Occidentales hirſuti. 82
Origo Saxonũ in Tranſſylu. 8
Origo Hungarorum. 32.33
Orientales raduntur. 79

P

Pax peſſundedit Hungariam. 138
Pileus Dacorum antiqu. 90
Pilei Tranſſyluan. noſtri temporis. 95
Priuilegia Nationis Saxonicæ in Tranſſylu.

R

Reuolutiones Tranſſyluan. 133
Religiones receptæ in Tranſſyluania. 125
Rakotzi Princeps. 230
Rakotzi Georg. II. 232
Raſura Tranſſyluanorum. 79

Romani quare tonſi. 82

S

SAxones Tranſſylu. ſunt veteres Daci. 24
Semicinctia. 101
Sigiſm. Bathori Princeps. 226.
Eius error. ibid. 226
Siculi & Scythæ Tranſſyluan. ſunt Szekhelij. 45
Szekhelij quare diſtincti ab Hungaris. 46
Stankarius Med. D. 225
Stephanus Batthori. 226
Stephanus Bethlen, Princeps pius. 230
Stephanus Vayuoda Tranſſyluaniæ. 139
Injurias vlciſcitur. 141
Deſperatus, à Bajazete auxilia flagitat. 142
Steph. Batthorij victoria inſignis. 160
Solimanus in Hungariam venit. 162

Solimanus

Solimanus Hungaros cum Rege ſuo ſtrauit. 163
In tutelam ſuſcipit Iohannem I. 172
Ferdinando bellū nunciat. 173
In Hungariam magno exercitu proficiſcitur. 173
Iohannem Regem conſolatur. 174
Quid iurauerit Iohanni. 175. 176
Reſtituit Iohannem Regno. 179
Eius Oratio ad Iohan. & Proceres Hungaros. 179
Obſidet fruſtra Viennam. ibid.
Infantem Regem & Iſabellam in tutelam recipit. 186
Ferdinandi exercitum delet. 189
Conſultat de Regno Hungariæ. 194
Szeidi Baſſa Rakotzium vincit. 234

T

Tibialia Tranſſyluanorum. 95
Tartari in pace compellunt homines

homines ad liberalitatem. 67. 68
Tunica triplex Tranſſyluanorum. 91. 92. 93
Tunica Dacorum antiquorum. 90
Tonderi per pectinem, quid. 86
Tonderi ſtrictim. 86
Turci quare raduntur. ibid.
Tunica Dacarum. 96
Turci armorum ſtudioſi. 135
Turci literas exulatum mittunt. 135
Tranſſyluania Regnum eſt ab Hũgaria diſtinctum. 226
Turci cum 80000. Tartaris Tranſſyluaniam vaſtant. 234
Turci feliciſſimi ſunt mercatores. 136
Turcarum in Pannonias primus ingreſſus. 142
Tranſſyluaniam vaſtat Mezethus. 147
Tranſſyluani Cibinienſibus infeſti. 237
Temporum viciſſitudo. 1
Tranſſyluaniæ Etymon. 5
Tranſſyluani Saxones, ſunt antiqui Daci.

Daci. 28
Trajanus vicit Decebalum. 51

V

VAlentinus Græuius Pataiuij obijt. 11
eius Epitaph. ibid.
Valachi vnde oriundi. 47.48
Valachi Romanæ coloniæ reliquiæ ſunt. 52
Valachi hodie ſe vocant Romanos. 55
Veneti remigeri pugnant. 94
Valachorum habitus. 110
Vienna Auſtriæ à Solymanno fruſtra obſeſſa. 179
Vladiſlaus Budæ Rex inauguratur. 144
Turcas inuadit. 151. Interficitur. 157

Z

ZAgabrienſis Antiſtes. 141

FINIS.

ERRATA

Pag.28.Germaniæ l.Germanicæ, p.28. Ichiuolte l.ich volte, p.28. Tranſilutani, l.Tranſſyluani, p.28. Nerna, l. Nerua, p.34. inſtruſit, l. intruſit, p.47.Oleahis, l.Olahis, p.55. locæ, l.loca, p.57. quem l. quod, p.62. quas l. quæ p.67. Belrac l.Beluac, p.85.Conſuetutinem, l. conſuetudinem, p.93. officij l. offici,p.97.Tract. l.Trajan. p.104. Ruſtibus l. Ruſticis, p.115. ſemel l. ſemet, p.117. ſententia l.ſententiæ, p.120. beneficiis l. beneficis, p.122.vinceris l.vinceris.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE





BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE